QUAESTIONES

DE

AESCHINIS ORATIONE

CONTRA CTESIPHONTEM.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM AMPLISSIMO

PHILOSOPHORUM MARBURGENSIUM ORDINI

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE ADIPISCENDOS

OBTULIT;

GODOFREDUS ROEMHELDT

MARBURGENSIS.

MARBURGI CATTORUM.

TYPIS N. G. ELWERTI ACADEMICIS.

MDCCCLXIX.

Caput I.

Prooemium.

In illustrissimis antiquitatis causis forensibus, atque haud scio an omnium longe illustrissima, illa est, quae inter Aeschinem et Demosthenem cum celebritate totius Graeciae de corona acta est. De qua apud Ciceronem[1]) haec legimus: »Ad quod iudicium concursus dicitur e tota Graecia factus esse«. Quod confirmatur ipsius Aeschinis verbis, quae in eius oratione leguntur[2]): „Ἵν᾽ οὖν ... ἀποκρίνωμαι ἐναντίον σοι τῶν δικαστῶν.. καὶ τῶν ἄλλων πολιτῶν . . . καὶ τῶν Ἑλλήνων, ὅσοις ἐπιμελὲς γέγονεν ἐπακούειν τῆςδε τῆς κρίσεως· ὁρῶ δ᾽ οὐκ ὀλίγους παρόντας, ἀλλ᾽ ὅσους οὐδεὶς πώποτε μέμνηται πρὸς ἀγῶνα δημόσιον παραγενομένους". Alliciebat autem non modo ipsius causae magnitudo, sed etiam insignis fama contendentium. Disceptabatur enim de probanda aut improbanda omni ratione, quam ut contra Philippi et Alexandri insidias sequerentur, Demosthenes, quum in republica versaretur, Atheniensibus auctor fuerat. Oratorum autem uterque maxima in republica auctoritate florebat, uterque egregiam in dicendo facultatem summamque laudem habebat, uterque capitali odio alterius flagrabat. Quas causas Cicero una sententia scite complexus est, quum porro diceret: »Quid enim aut tam visendum aut audiendum fuit, quam summorum oratorum in gravissima causa accurata et inimicitiis incensa contentio?« Percommode nobis evenit, ut duae orationes ex tanta literarum iactura servatae exstent. Utraque enim, ut

1) De opt. gen. or. 7, 22. — 2) §. 56.

alia omittam, tam insigne est exemplum Attici dicendi generis, ut Ciceroni digna esse visa sit, quam in Latinum sermonem converteret et ad imitandum proponeret. Quod enim Niebuhrius [1]) iudicavit, Aeschinis orationem non minus mali oratoris, quam perversi hominis esse, hodie vix quisquam amplius, qui probet, invenietur. Itaque viri docti in utraque interpretanda et illustranda magnam quidem operam et curam consumserunt, sed tamen Aeschinis oratio plenam aestimationem nondum nacta esse videtur.

Neque vero, nisi antiquae eloquentiae natura atque indoles perspecta et consuetudo concionum iudiciorumque cognita est, ullius Graecae aut Latinae orationis omnis vis plane comprehendi potest. Est autem antiquae eloquentiae ratio ab hac vita et consuetudine prorsus diversa. Quum nostra oratio, quae in publicis hominum deliberationibus aut in iudiciis versatur, maxime ad intelligentiam eorum, qui audiunt, spectet, ita ut hi, quid in quaque re verum rectumve sit, argumentis ac rationibus docti probent, antiquitatis oratio paene tota ad persuadendum ita erat composita, ut ad aliquid probandum exsequendumve praecipue animi motuum vi audientes adducerentur. Itaque multi antiquitatis rhetores oratoris artem simpliciter definiunt esse artem persuadendi vel accomodate ad persuadendum dicendi, et, si alii eius vim aliam quandam eamque graviorem et generosiorem esse volunt, non ex consuetudine vitae interpretantur. — Haec autem omnis antiquae eloquentiae natura in rerum publicarum forma, vel, ut definitius loquamur, in maxima omnium potestate de summis rebus decernendi posita erat. Quis enim ignorat, plurima, quae in quaque re apud nos paucis peritisque hominibus deliberanda et decernenda dentur, apud antiquos plerumque aut ab universa populi multitudine aut tamen a magna eius parte disceptata esse? Quoniam autem vulgus omnino impetu quodam animi et perturbatione magis, quam iudicio aut consilio, regitur, non modo ii, qui dominandi cupiditate ducti principem locum in republica tenere cupiebant, sed etiam optimus quisque, qui

1) Vorträge über alte Geschichte, III. pag. 9.

nihil nisi salutem civium spectabat, facere non poterant, quin magis ad sensus voluntatesque audientium quam ad rationem ac consilium orationem conformarent. Nostris quoque temporibus ex simili statu civitatis idem dicendi genus efflorescere, quum ea declarant, quae de memorabili illa commutatione ac perturbatione omnium rerum publicarum, quae sub finem pristini saeculi in Gallia facta est, traduntur, tum nos ipsi experti sumus, quum ante hos XX annos idem fere in hac terra accidisset. Etiamnunc praeclare meminimus, populares illos homines in audientium animis varios motus excitare, omnesque eos plurimum apud vulgum valere, qui iram, odium, alios animorum sensus inflammabant, illos vero, qui ratione ac consilio docebant, contemni vel etiam explodi. — Quum haec igitur esset natura antiquae eloquentiae frequentissimusque usus accederet, consentaneum erat, vias ac rationes exquiri, quibus potissimum in quoque rerum aut causarum genere audientium animi moverentur. Ita factum est, ut leges quaedam ac regulae, quas ratio invenerat et probaverat usus, proponerentur. Quae quum cursu temporis augerentur et amplificarentur, denique in ordinem quendam et formam disciplinae redactae sunt. Cui rei quantum antiqui tribuerint, ex maxima copia artium elucet, quas et Graeci et Romani de omni ratione dicendi scripserunt, quarumque haud paucae adhuc exstant. Complectebantur sane eae non modo praecepta ad commovendos animos pertinentia, sed quaecunque ad fidem orationis faciendam necessaria esse videbantur. Habebant autem multas rationes, quas, quum nobis honesto viro indignae esse videantur, causidicorum fallacias vel artificia vocamus, quibus vel principes in dicendo gravissimique viri cum nulla aut parva audientium offensione utebantur. Hanc enim sibi quisque summam legem praescriptam esse putabat, ut nihil, quo inferior causa superior fieri posset, praetermitteret. Atque hinc haud scio an factum sit, ut tam inique de Cicerone oratore Th. Mommsenius iudicet. Is enim censet[1]), quidquid in curia, in concione, in foro dixerit, ex proprio suo iudicio et cum

1) Röm. Gesch. III, p. 599. II. edit.

ardore quodam animi nihil illum dixisse, neque quidquam aliud fuisse, quam causidicum eumque malum. Sed ego existimo, aut nihil minus Ciceronem, quam causidicum, aut etiam omnes magnos oratores Atticos causidicos fuisse. Nam ipsum Demosthenem non raro in manifestis fallaciis turpissimisque artificiis deprehendi, post multas et accuratas virorum doctorum quaestiones negari non potest. Iam vero, quum et rhetorum libri ab iis, qui oratores futuri erant, lectitarentur, et artium regulae praestantissimorum oratorum exemplis illustrarentur, quis est, qui non concedat, ad plane intelligendam atque aestimandam quamvis antiquitatis orationem illarum legum scientiam esse necessariam? Quae res, nuper demum cognita, nunc manifesta et confessa est [1]). Itaque haud pauci multum versari in studio rhetorum coeperunt et alii, quae ex omni arte cognitione maxime digna visa sunt, ex illorum scriptis excerpserunt et in brevi conspectu posuerunt, alii singulos locos passim explanaverunt, alii nonnullas orationes ipsius artis norma ponderaverunt.

Ad hanc eandem ego nunc de illa Aeschinis oratione recentem quaestionem instituam et, quanta cum arte prudentiaque oratoria ea composita sit, examinabo, neglectis tamen omnibus nugis atque ineptiis, quibus multorum rhetorum libri referti sunt. Quum autem, quoniam rhetores antiqui docent, oratoris munus in tribus potissimum rebus consistere, in inveniendo, in disponendo, in eloquendo, initio mihi propositum fuisset, quid in harum unaquaque perfecisse ille videretur, complecti, mox intellexi, futurum esse, ut libellus maior fieret, quam natura huius scribendi generis concederet. Itaque placuit, elocutione prorsus omissa, tantum res ab oratore inventas earumque tractationem ac totius orationis dispositionem spectare, immo vero ne inventionem quidem persequi totam. Nam, quum ad explicationem rerum a Demosthene publice gestarum venissem, rursus intellexi, diiudicare in ea vera ac falsa, et, quid de quaque re viri docti sentirent, respicere, separatae cuiusdam quaestionis

---

1) Cf. R. Volkmanni Hermagoram, praef. p. V. et Kayserum in editione Cornificiana, praef. p. V, et in Iahnii annalibus 1866. p. 837.

esse. Quapropter de hoc toto loco nihil aliud proferam, nisi quibus artis praesidiis adiumentisque extrinsecus quaesitis, ut ad fidem habendam iudicum animi propensiores essent, orator usus sit.

Sed, priusquam praefandi finem faciam, haec addenda videntur. Haud ita enim dissimili modo, quo ego huius orationis res tractare in animo habeo, R. Dahmsius in libello »studia Demosthenica« inscripto [1]) partem rerum a Demosthene in oratione adversus Timocratem inventarum examinavit et, quae argumenta ac rationes firma et utilia, quae infirma et inania essent, censuit. In quo equidem viro acutissimo et in hoc literarum genere multum exercitato non assentior, quod tam multas rationes futiles esse iudicavit, sed existimo, aliquanto plus Demosthenis iudicio esse tribuendum, praesertim quum multae eiusmodi rationes apud alios quoque oratores saepe inveniantur. Ita in hac oratione complures rationes censere debemus multo magis ad iudicum animos movendos idoneas fuisse, quam primo adspectu videantur. Nam quid putemus fuisse, quod homo prudentia, usu, exercitatione praeditus in tam multas et infirmas rationes delaberetur? Quid? quod nonnullae earum a Demosthene aliisque oratoribus in similibus rebus causisque afferuntur. Hoc certe sine ulla dubitatione statuere licet, ut firmiores rationes comparari non possent, semper utilius fuisse, infirmis uti easque dicendo augere et tollere, quam proferre omnino nullas.

Iam vero ad propositam rem aggrediamur et primum inventionem orationis consideremus. Nam causa ipsa tam clara et pervulgata est, ut, quae fuerit, antea exponere, non opus esse videatur. Sed, quum inventio ex variis orationis partibus varia sit, in quot et quas partes haec oratio nobis distributa esse videatur, breviter praemittendum est: rationes vero, quibus ducti hanc ipsam dispositionem statuerimus, et iudicium, utrum artificiose prudenterque an secus ea facta sit, post, si de rebus ipsis disputaverimus, explicabimus. Ex tribus autem partibus

---

1) Editus est in programmate gymnasii Gallici, quod Berolini est, a. 1866.

orationem constare censemus, exordio sive prooemio, argumentatione, quam eandem confirmationem sive probationem appellant, conclusione seu peroratione seu epilogo. Et quum exordium usque ad § 8 pertineat, longe maxima orationis pars in confirmatione versatur (§§ 9—176); cetera complectitur peroratio.

Caput II.
De exordio orationis.

Atque, ut accedamus ad illustrandum exordium, primum Aeschines conatus, quos adversarii ad accusationem elevandam parent, breviter perstringens, bono se animo de iudicii eventu esse dicit, fretum et auxilio deorum et ipsa causa et iustitia iudicum. Deinde verba facit de more quodam malo, qui in rempublicam receptus sit. Per eos enim, qui deliberationibus populi et senatus praesint, fieri, ut non, sicut leges ac consuetudo postulet, sed ut vel studium vel utilitas ipsorum aliorumque, qui omnes res pro suo arbitrio geri velint, de summis rebus deliberetur et decernatur. Cuius licentiae nullum aliud remedium exstare, quam violatarum legum actiones. Quodsi harum quoque vis et auctoritas sententiis iudicum imminuatur vel tollatur, libertatem populi iam nullam fore. Atque, ut probet rem, explicat, qua in re summa vis et salus liberae civitatis nitatur, et quid inter populi imperium et paucorum aut unius dominationem differat. Ex his maximi momenti esse violatarum legum actiones concludit. Denique iudices de iureiurando commonet cohortaturque, ut, non perturbati aliorum illecebris ac fraudibus, officium suum exsequantur.

Haec est summa totius exordii. Iam vero, singula accuratius cognoscentes, examinemus, quomodo illud ab Aeschine tractatum, et num praeceptis, quae ab antiquis rhetoribus traduntur, satisfactum sit. Iure autem hi docent, hanc partem minime esse negligendam. Est enim, ut Ciceronis [1]) verbis utar,

1) De inv. I, 15, 20.

oratio animum auditoris idonee comparans ad reliquam dictionem, ita ut propensior sit ad audiendum. Si principium recte institutum et perite ad eorum, qui audiunt, sensus accomodatum est, saepe fit, ut hi capti et praerepti ab oratore cetera quoque cum maiore studio audiant et de argumentatione, si quae infirmiora et leviora esse videantur, lenius iudicent. Contra, si male et vitiose est compositum, fieri potest, ut illorum animi ita abalienentur, ut aut parva vel nulla attentione reliquam orationem audiant aut, mala opinione ducti, optimam argumentationem non probent. Ut uno verbo complectamur, ad conciliandos maxime animos prooemium spectat. Conciliantur autem, qui audiunt, tribus rebus, si benevolos, si attentos, si dociles eos fecerimus. Ad benevolentiam comparandam ante omnia oportet, oratorem, praesertim si accuset, de suis factis et virtutibus modice et sine arrogantia dicere, honestum, patriae amantem, ipsum erga auditores benevolum animum prae se ferre, talia omnino verba facere, ut non modo de omnibus rebus divinis humanisque idem atque illi sentire, sed etiam cum moribus civitatis congruere videatur[1]), postremum cum moderatione quadam ac lenitudine de adversario et cum nonnulla audientium laudatione dicere. Quae virtutes efficiunt id, quod rhetores Graeci ἦθος vocant, Quintilianus[2]) autem affectus mites vel compositos.

Ac nulla quidem earum ab Aeschine neglecta est. Ut ea, quae inprimis emineant appareantque, ostendamus, sedato quodam dicendi genere atque miti per totum exordium utitur· nihil asperius aut vehementius contra Demosthenem aut Ctesiphontem dixit, nulla convicia, nullas calumnias, in quibus alias maxime vis huius orationis perspicitur, protulit, quin etiam nomen Demosthenis nusquam immiscuit, tantumque semel Ctesiphontis nomen commemoravit, ac ne hoc quidem cum significatione odii, sed ut res ipsa et oratio ferebat. Nam, etsi multus est in reprehendendo querendoque, tamen non tam in reum aut Demosthenem, omnino non tam in singulos, quos nominatim

1) Cf. Arist. rhet. I, 8. — 2) De inst. orat. VI, 2 sqq.

appellet, invehitur, quam in licentiam totius cuiusdam partis, in malum morem, quem quoddam genus oratorum atque imperatorum in rempublicam induxerit; et hos generatim significat, modo „*τινές*“ (§ 1; § 3), modo „*τινὲς τῶν ῥητόρων*“ (§ 7), modo „*οἱ παράνομα γράφοντες*“ (§ 7), modo „*οἱ ὑπεναντίως τοῖς νόμοις καὶ τῷ συμφέροντι τῷ ὑμετέρῳ πολιτευόμενοι*“ (§ 8) nominans. Ac, si eum, ut oderint et puniant, iudices adhortari legimus, tamen ab omni animi concitatione vacare videtur, nec singulos quosdam nominat, quos iudices odisse et punire iubeat, sed omnes, qui aliquid, quod contra leges sit, rogent, odio et poena persequendos esse censet.

Prudentissime vero fecit, ut non statim in Demosthenem aut Ctesiphontem vehementius inveheretur. Nam, quum plerumque abalienatis animis iudices accusatorem a maledictis et conviciis exordientem audiant, quia sua eum inimicitia aut suarum partium studio motum accusationem instituisse putant, tum maxime in hac causa Aeschini caute prospiciendum erat, ne a principio apertius ostentaret, malitiose contra Demosthenem se accusationem suscepisse. Quamquam enim ex pugna apud Chaeroneam facta ac maxime ex malo eventu belli Lacedaemonii ii, qui Athenis a Macedonibus stabant, populi conciones sua auctoritate moderabantur, haud pauca signa exstant, coactos et invitos Athenienses tempori cessisse atque longe abfuisse, ut eos belli pro libertate Graeciae contra Macedonum insidias suscepti poeniteret, iisque, qui inprimis illius auctores fuerant, irascerentur. Immo vero Demosthenem perpetuo favore et benevolentia populus amplectebatur, et ex illa clade quum alia signa eius voluntatis dederat, tum paulo antea, quam haec causa acta est, quum Amphictyonum iudicio illum in quaestionem tradere iussus esset, recusaverat. Id quod certe probabiliter A. Schaeferus[1]) ad illud tempus retulit. Accedit, quod senatus decretum de corona aurea Demostheni donanda paulo ante renovatum esse videtur, id quod maxime Aeschinem movit, ut intermissam accusationem reciperet. Hoc quoque verisimile esse, idem demonstravit Schaferus[2]).

---

1) Demosthenes u s. Zeit, III, 198. — Demosth. u. s. Z. III, 207.

Accusationem autem nomine quidem contra Ctesiphontem institutam esse, sed re vera id spectasse, ut, qua fide et auctoritate in republica frueretur, Demosthenes privaretur, vix attinet dicere.

Jam vero, quae contra malum illum morem in deliberationibus populi et senatus receptum prolata sunt, cum magna moderatione sunt dicta. Non modo ille simpliciter ad veritatemque describitur, sed etiam ipsa descriptio a verbo optandi exorditur: »ἐβουλόμην«. Optat autem Aeschines, ut aliter res se habeat, ut meliore loco sint eae res, ut modestia ordinisque observatio, quae antea in oratoribus fuerit, etiamnunc in republica vigeat. Et, quum porro dicit: »οὕτω γὰρ ἄν μοι δοκεῖ ἥτε πόλις ἄριστα διοικεῖσθαι etc.«, quod sibi de ea re videatur, id se non firmissime asseverare, exprimit. Quid? quod, quum paulo infra dicat, illius rerum perturbationis reipublicae tam perniciosae nullum aliud relictum esse remedium, nisi violaturum legum actiones, tamen vim verborum mitigat addendo: εἴτι κἀγὼ τυγχάνω γιγνώσκων«. Quo quid moderatius, quid modestius? Ad fidem vero et veritatem morem eum omnino descriptum esse, quamquam fortasse re paullulum aucta, et multa exempla, quae de administratione Atheniensium reipublicae tradita sunt, et, ut alia omittam, duo Demosthenis testimonia probant. Horum unum est in oratione adversus Timocratem (§. 142—143), ubi orator queritur, omnes res pro arbitrio oratorum geri eosque singulis fere mensibus novas leges e sua re, civitatis cum detrimento perferre, antiquas vero et spectatas tollere. Alterum legitur in oratione contra Androtionem (§. 37), ubi verbis εἰ δὲ .... ἀπαλλαγήσεσθε significatur, senatum coitione quadam oratorum regi. Hoc quidem aequum non erat, Aeschinem ad unam eamque sibi adversariam partem illum morem referre, quia omnium partium oratores, ut penes quamque dominatio erat, summa licentia utebantur, populus autem, ut in quamque bene animatus erat, patiebatur.

Neque vero satis erat Aeschini non videri sua utilitate aut sua inimicitia commotum accusationem instituisse, sed etiam indicandum erat, quae revera esset causa, cur ad accusandum

accederet. Qua in re magna eius prudentia cernitur, quum patriae amantissimum se ostendat et, ne quid respublica detrimentum faceret, senatus decreto se intercessisse, non disertis quidem et planis verbis dicat, attamen non ita tecta et obscura oratione exprimat. Satis clare studium suum popularis imperii significat, cuius interitum ferre non possit, in quam sententiam multa dicta apud omnes fere oratores Atticos legimus. Quid enim magis benevolentiam hominum libertati tam deditorum conciliare poterat oratori, quam si idem sentire videbatur? Praeclarius vero hic Aeschines, quod, quid de republica sentiret, non vulgari cum ostentatione enuntiavit, sed toti dicendi colori ita intexuit, ut sua sponte ex hoc eluceret.

Quum porro ad benevolentiam iudicum comparandam multum valeat, si orator eos laudat iisque blanditur, dummodo caute et moderate faciat, nihil Aeschines, quod ad hoc spectet, dicit, nisi, se iudicum iustitia esse fretum. Quibus verbis optimam se de iis opinionem habere significat. Simul autem moderatio eius laudanda est, quod non nimiam fiduciam prae se fert, e sua re iudices diiudicaturos, sed tantum intelligi vult, se confidere, illos, quod ipsi ex legibus esse cognoverint, iudicaturos esse. Nam iudex nimiam oratoris de causae eventu securitatem odit suumque ius libere diiudicandi vult respici et observari. Neque vero minor Aeschinis modestia eo cernitur, quod non audet praedicare, certo se convicturum esse Ctesiphontem, sed etiam nonnullam dubitationem de ea re significare videtur, quum dicit § 8: „ἐὰν ἐξελέγξωμεν Κτησιφῶντα“ etc. Ex his omnibus, quae adhuc consideravimus, optimo iure dicta esse censere debemus, quae init. § 9 leguntur: „*Περὶ μὲν οὖν τῆς ὅλης κατηγορίας μετρίως μοι ἐλπίζω προειρῆσθαι*“.

Haud alienum autem ab hoc loco esse puto, cum hoc exordio comparare rationem, qua Demosthenes in oratione de falsa legatione praefatus sit, quoniam, inter duas causas similitudinem quandam intercedere, apparet. In illa causa accusat Demosthenes, Aeschines se defendit. Prooemium Demosthenis ab eadem fere sententia, quam in hac Aeschinis oratione legimus, exorditur. Adversarios ille dicit maximam operam dare, ut accusationem

elevent. Deinde, iudicibus de iureiurando commonitis, Aeschinem ita reprehendit, ut non maledicat neque omnino vehementi oratione utatur. Tum summam fiduciam exprimit, se Aeschinem convicturum esse, sed se vereri addit, ne iudices eum non condemnent, quod saepe in causis publicis fieri soleat, ut non tam iuris ac legum, quam temporum communium ratio habeatur. Sed haud scio an temeritatis fuerit, a principio statim iudicibus aliquid exprobrare, quo facile possent offendi· id quod, conciliatis eorum animis ac re argumentis et rationibus probata, facere aptius fuisse arbitror. Inveniuntur quidem apud fere omnes oratores Atticos permulta, quibus varia Atheniensium vitia castigent, sed tamen plerumque suo loco et tempore. Postremum ille iterum magnam fiduciam significat, se convicturum esse Aeschinem, specie quidem rem in medio relinquens, revera autem firmissime adseverans. Quid enim aliud verba (§ 8): „*ἂν δὲ μὴ δείξω ταῦτα ἢ μὴ πάντα, ἐμὲ μὲν φαῦλον ἡγεῖσθε, τοῦτον δὲ ἄφετε*“ sibi volunt, quam: „ita vivam, ut ego istum convincam“. Quis neget, Aeschinem maiore cum cautione et prudentia, quam Demosthenem, praefatum esse? Quamquam hunc incitabat honesta indignatio de adversarii proditione ac populi lentitudine, et quum ipsius probitas integritasque spectata esset ac manifestus amor patriae, maiora fortasse ei licuit audere, quam, cui illae virtutes deficerent aut non essent exploratae. At Aeschinis mentem malam atque improbitatem iam pridem perspectam fuisse, verisimile est: quare, etsi populus, temporibus coactus et, quia pacis quietisque amantissimus erat, eius consilia saepe sequebatur, tamen magnopere ei cavendum erat, ne intempestiva vehementia aut importunitate iram iudicum excitaret, immo vero enitendum, ut moderatissimus quietissimusque esse videretur, et, qui, nisi respublica postularet, alios laedere gravaretur. Itaque oratione quoque talem animum simulare opus erat, ut in benevolentiam iudicum quasi insinuaret. Hac ratione utitur in oratione contra Timarchum, hac eadem in nostra. In utraque commonet iudices de modestia sua, ita ut eorum benevolentiam quasi necessariam mercedem poscere videatur.

Nec modo benevolentiam iudicum conciliare in exordio est

oratoris, sed etiam attentionem excitare. Quae quum ex benevolentia ipsa oriatur, tum maxime sententiis efficitur, quae ad illorum utilitatem aut ad summam rempublicam pertinere videantur. In hoc quoque Aeschines prudenter et scite versatus est. Edocet iudices, imperium populi paene sublatum videri. Nam paucos quosdam homines contra ius ac leges omnia moderari neque ad civitatis, sed ad suam utilitatem referre. Quod nisi illis occurratur, populi imperium et libertatem omnium civium mox nullam fore. Quum autem, nullum fere antiquitatis populum fuisse, qui libertatis amantior fuerit et plus in suo iure de maximis rebus decernendi posuerit, quam Atheniensium, constet, nihil accomodatius erat ad iudicum attentionem excitandam, quam metum de ea re in animos iniicere. Nam, quum revera populus plerumque in paucorum oratorum aut imperatorum, qui ingenio et facultate dicendi animos flecterent, ditione et potestate teneretur, tamen imprudens et inscius patiebatur. At, quum sensisset talium imperium, eundem nonnumquam eos, etiamsi non detrimentum intulissent, sed optime meriti de civitate essent, non modo a republica removisse, sed etiam varia poena affecisse, memoria accepimus. Itaque frequens ac trita oratorum ratio erat ad attentionem benevolentiamque eorum, qui audiebant, conciliandam, metum de populi imperio animis iniicere. Ut autem iudices, populi imperium in maximo discrimine versari, facilius intelligant, Aeschines exponit, quae illius vis ac natura sit, et quo ab imperio paucorum et a tyrannide differat. Eadem sententia usus est in oratione contra Timarchum, cap. II, et mirandum videtur, quod paene iisdem verbis, quibus illic expressa est, hic repetita ea legitur, sed, ut ipse illo loco dicit, quamvis saepe audiverint, eam tamen a re haud alienum sibi videri in memoriam iudicum redigere, ita hic eandem haud temere, sed ingenium Atheniensium respiciens oratorumque consuetudinem sequens recepisse videtur. Praeterea officio suo iudices defuturos esse docet, si, ut leges ratae sint et observentur, non curent. Illis enim rempublicam a ceteris civibus quasi commissam esse. Quid? quod iureiurandi commonet? nonne haec quoque ad attentionem faciendam accomodata sunt?

Quum denique dociles facere iudices exordientis oratoris esse, rhetores tradant, ii quidem, qui attente audiunt, ipsi sunt dociles, in primis autem illi, quibus aperte et breviter summa causae exponitur, hoc est, in quo consistat controversia. Ad hoc spectant Aeschinis verba, quae sub finem prooemii (§ 8) leguntur: „*ἐὰν ἐξελέγξωμεν Κτησιφῶντα καὶ παράνομα γράψαντα καὶ ψευδῆ καὶ ἀσύμφορα τῇ πόλει*“. Quamquam, quae Kayserus[1]) de omni hac re censuit, mihi magis placent.

His praemunitis, ad argumentationem Aeschines transit. Sed, priusquam de hac parte orationis disseramus, aptum esse videtur, aliorum sententias iis, quae a nobis de omni natura exordii exposita sunt, contrarias considerare. In summa orationis, quae, a grammatico aut rhetore aliquo conscripta, ipsi orationi vulgo praemittitur, legimus: „*μέμψαιτο δ' ἄν τις τὸ προοίμιον ὡς τραγικὸν καὶ περιττὸν καὶ ἐπιλόγῳ μᾶλλον ἐοικός*“; et in iis, quae illi in plerisque editionibus adiuncta, sed a F. Schultzio, quod ad veterem aliquem enarratorem referenda videantur[2]), uncis inclusa sunt: „*ὅρα δὲ, πῶς ἐπιλογικῶς ἤρξατο ἀπὸ συνηγόρων ἐκβολῆς, ὥσπερ καὶ ὁ Δημοσθένης*“.

Sed nos, ut primum id, quod secundo loco reprehenditur, reiiciamns, intelligere non possumus, ad similitudinem quandam epilogi exordium esse compositum. Ille sane aptissimus locus est in adversarios acerbius vehementiusque invehendi. At etiam exordienti licet accusatori adversariorum mentionem facere eosque vituperare, dummodo ne iracundius erumpat, sed placida et leni oratione utatur. Qua in re nihil refert, utrum contra illum solum, quicum litem habeat, an etiam contra eius patronum totumque gregem advocatorum verba faciat. Id quod Quinctiliani testimonio confirmatur, qui dicit[3]): »Etiam partis adversae patronus dabit exordio materiam«. Neque vero, si quis vocabulum „*ἤρξατο*“ subtilius excutiat, oratori vitio verti debet, quod primis statim verbis adversarios perstringit. Exempla

1) In editione Cornificiana p. 218.

2) Cf. Iahnii annales a. 1866 pag. 291.

3) De inst. or. IV, 1, 11.

eius rei permulta apud maximos oratores inveniuntur, quorum nonnulla paulo infra afferentur. Sed antiqui rhetores, inprimis posteriorum temporum, haud raro in maximas ineptias incidunt.

Illud autem priore loco reprehensum (*μέμψαιτο* etc.) orationem exordii splendidiorem grandioremque, quam huius natura patiatur, ideoque perorationis similiorem esse significat. Quod solam ad primam sententiam, vel potius ad unum vocabulum »*παράταξιν*«, refendum esse, probabile fit his, quae a vetere enarratore adnotata sunt: »*δοκεῖ δὲ τραγικώτερον κεχρῆσθαι εὐθὺς ἐν ἀρχῇ τῇ μεταφορᾷ*«. Tradunt enim rhetores antiqui, vitiosum esse exordium, si habeat inusitatam verborum consuetudinem et audaciores translationes, quibus splendor orationi afferatur. Ex quo suspicionem quandam apparationis atque artificiosae diligentiae nasci, quae maxime orationi fidem, oratori adimat auctoritatem [1]). Atqui vocabulum *παράταξις*, quod proprie exercitus aciem significat, hoc loco audacius est translatum. Sed nonnulla sunt, quae possint excusari. Nam primum quidem tota ratio litigantium a Graecis hominibus tamquam pugna animo effingitur, et magna copia verborum ad causas et iudicia spectantium a bello et proelio ducta est. Deinde, ut vim et magnitudinem causae illustret, consulto Aeschines significat, tantos adversariorum apparatus tantasque contentiones ad evertendam accusationem fieri, ut tamquam contra hostium firmam aciem pugnandum videatur. Tum omnis illa sententia non ab Aeschine primo inventa et enuntiata est, sed in aliorum orationibus vel longiore vel breviore temporis intervallo ante hanc habitis legitur. Velut similiter Lysias in exordio orationis de bonis Aristophanis: »*Τὴν μὲν οὖν παρασκευὴν καὶ προθυμίαν τῶν ἐχθρῶν ὁρᾶτε*«; Andocides de myst.: »*Τὴν μὲν παρασκευὴν καὶ τὴν προθυμίαν τῶν ἐχθρῶν τῶν ἐμῶν σχεδόν τι πάντες ἐπίστασθε*«; Demosthenes de fals. leg.: *Ὅση μὲν — σπουδὴ περὶ τουτονὶ τὸν ἀγῶνα καὶ παραγγελία γέγονε, σχεδὸν οἶμαι πάντας ὑμᾶς ᾐσθῆσθαι* etc.« [2]). Ili quidem omnes loci non

1) Cic. de inv. I, 18, 26.

2) Alia exempla vide in: Orat. Att. ed. Dobson, Tom. XII p. 162 et Aesch. oper. ed. Bremi, Tom. II, p. 5.

habent vocabulum »παράταξις«, sed huius quoque translatio Atheniensibus non inaudita fuisse videtur, quum oratio a Philino contra Lycurgum habita, cuius principium a Clemente Alexandrino [1]) servatum est, eandem praebeat. Haec autem sunt verba: »Ὅση μὲν — σπουδὴ καὶ παράταξις γεγένηται περὶ τὸν ἀγῶνα τουτονί, οὐδ' ἕνα ὑμῶν ἀγνοεῖν ἡγοῦμαι«. Quae certe verisimile est ad illam orationem referenda esse [2]). Nec minus verisimile est, eam priore quam hanc tempore habitam esse. Illius igitur vocis translatio, quia non plane nova et inaudita erat, minus audax esse videtur· quin etiam haud scio an frequentiore usu ita trita fuerit, ut Athenienses nihil in ea offenderent. Quod de voce »παρασκευή« factum esse apparet, quae, quum proprie apparatum bellicum significaret, in consuetudinem iudiciorum iam pridem erat inducta.

Fortasse autem ideo aliquis Aeschinem vituperet, quod a sententia tam trita eaque, qua eadem adversarius uti posset, exorsus sit. Etenim rhetores praecipiunt, ne vulgare sit exordium, i. e. ne in plures causas accomodari possit, neve commune, i. e. ne etiam in contrariam partem causae conveniat. Sed antiquos oratores omnino consuevisse nonnulla alterum ab altero sumere et quasi mutuari, et ex ipsis iis exemplis, quae modo attulimus, elucet, et auctoritate Dionysii Halicarnassensis confirmatur. Id quod ad morem in scholis rhetorum receptum praestantissimos locos prooemiorum, epilogorum, sententiarum communium, memoriae mandandi referendum est.

Restat, ut commemoremus, quid nostrae aetatis vir doctus, C. F. Matthaeius [3]), de vi ac natura huius exordii censuerit. Is defendit quidem Aeschinem contra antiquos vituperatores, sed, ut nobis videtur, ob falsam causam. Dicit autem: »Qui hoc exordium ὡς τραγικὸν καὶ περιττὸν καὶ ἐπιλόγῳ μᾶλλον ἐοικός reprehenderunt, ii nec videntur cogitasse, aliud exordium convenire vehementiae accusantis et defendentis modestiae, nec in-

1) Strom. I, 6 cf. Dobson l. c.

2) Schaefer, Demosth. II, 301.

3) In „libello academico de Aeschine oratore“ pars II, de exordio. cf. edit. Dobson.

tellexisse, opus fuisse, ut orator crimen augeret. Res enim in tanta reipublicae perturbatione et calamitatibus negligebatur, et Demosthenes, quem accusator maxime petebat, ob magna in rempublicam beneficia et eloquentiam diligebatur. Ergo opus erat, ut Aeschines omni modo crimen augeret et reipublicae salutem in severe iudicandis *παρανόμων γραφαῖς* positam esse doceret«. Sed supra satis demonstrasse mihi videor, non vehementiam, sed contra submissum et temperatum genus dicendi in exordio inesse. Incipit sane Aeschines crimen augere, sed hoc ubique per totam orationem licet, dummodo ea ratione fiat, quae ad quamque eius partem convenit· neque omnino necessaria est ad augendum dicendi vehementia.

Caput. III.

Cur partitionem neglexisse Aeschines videatur, quaeritur.

Prooemium sequitur argumentatio. Quae divisa est in eosdem locos tres, quos, mutato ordine, accusationis libellus habet. Sed, priusquam ad hanc illustrandam transeamus, alia res paucis exponenda videtur. Docent enim rhetores, confirmationi praemittendam esse earum rerum, de quibus orator dicturus sit, brevem quidem, sed accurate dispositam enumerationem. Hac partitione, quam vocant, non modo illustriorem totam orationem effici, sed etiam iudices attentiores dociliores-que fieri, si noverint, qua de re statim, de qua postea orator sit dicturus. Quod hic eo magis Aeschini observandum fuisse videtur, quia, ut modo indicavimus, alius est in oratione ordo locorum, alius in accusationis libello. Nam, quum in hoc primam rationem, cur Ctesiphontis rogatio contra leges esset, attulisset hanc, quod Demosthenes tanto honore indignus esset, secundam, quod idem in magistratu esset necdum rationes retulisset, tertiam denique, quod, qui a populo corona donarentur, nusquam alibi atque in concione eos donare liceret: in illa ordinem ita invertit, ut primum de rationibus non relatis, deinde de loco donationis, tum de vita privata et publica Demosthenis

verba faceret. De ratione autem, qua ductus Aeschines hanc ordinis conversionem instituerit, post videbimus. Tamen is neglexit partitionem ac tantummodo, quum ad quemque locum pervenerat, per transitionem, quam vocant, summam rerum praemisit. Quodnum imprudens, an de industria fecerit, nunc inquiramus. Ac nobis quidem fecisse videtur consulto. Quum enim aequum esset, libelli ordinem in oratione servare, sed nihilo minus hic ab eo recederet, prudentiae erat, id quam maxime occulte facere, ne ipse fateri videretur, tam malam suam causam esse, ut artis ope ei esset subveniendum. Sin vero partitione usus esset, iudices maxime in differentiam illam convertisset. Quare optimum erat, quoad eius fieri poterat, silentio rem dissimulare et statim ad argumentationem ipsam transire, quasi omnia bene et recte se haberent. »Nam artis est, artem tegere«. Quum autem suspicio artificii apud eos, qui audiunt, et oratoris auctoritatem et orationis fidem imminuat, non raro fit, ut ad vitandam illam oratores iudicum arbitrio permittant, quo loco de quaque re se dicere velint· qua de re infra plura proferemus.

Caput IV.

De argumentationis loco primo.

Sed, ut accedamus ad argumentationem ipsam, in prima parte Aeschines praemittit, per leges non licere, eum, qui in magistratu sit necdum rationes retulerit, corona donare. Quarum ut vim et utilitatem declaret, ad quas incommoditates ac turbas removendas eae constitutae sint, apte exponit et, quam fraudem nonnulli iis facere soleant, ostendit. Ctesiphontem vero aperte et audacter eas violasse dicit. Deinde, Demostheni re vera rationes tunc referendas fuisse, hoc syllogismo demonstrat: Omnibus, qui aliquam reipublicae partem administrant, rationes sunt referendae. Atqui administrabat Demosthenes partem reipublicae. Ergo rationes ei erant referendae. Neque vero ad subtilem normam philosophorum eum expressit, sed cum oratorum licentia ita amplificavit, ut in tres formas distraheret, quas et ipsas non,

ut dialectici, sed, ut oratores solent, finxit. Sunt enim duo enthymemata et unum epichirema, quae vocant. Epichirema autem eo omnino a syllogismo philosophorum differt[1]), quod hic ex tribus partibus vel sententiis constat, quae certam quandam formam habent et certo quodam ordine inter se excipiunt, illud liberior quidam concludendi modus est, quum non solum in partibus vel membris collocandis vario ordine uti, sed etiam propositioni et assumptioni approbationem addere liceat. Varietatem ordinis etiam formae varietas sequitur. Quum in syllogismo membra simplicissima forma affirmandi aut negandi distincta ac dilucida sint, in epichiremate non ita patent, sed saepe ex formis interrogandi, exclamandi, optandi, haud raro etiam ex longiore vel breviore sententiarum coniunctione sunt eruenda. Enthymema autem concludendi ratio est non integra, sed in brevius contracta, cui semper unum ex tribus membris desit. Ceterum eadem libertate, qua epichirema, fruitur[2]).

Ac, considerantibus nobis prius enthymema[3]), quod principium totius argumentationis est, constat id ex propositione et assumptione, conclusio autem deest. Propositio est haec: »Omnes, qui suffragiis populi creati aliquo munere funguntur, et ii, qui operibus publicis praefecti sunt, et ii, qui pecunias publicas plus XXX dies administrant, et ii, qui iudicia exercent, in magistratuum numero sunt habendi, et propterea rationes iis referendae sunt«. Assumptio autem, per interpositionem, quam vocant, illi iniecta, haec est: »Atqui Demosthenes praefectus operi publico erat et (propterea) iudicia exercendi potestatem habebat«. Sed sola prior pars assumptionis disertis verbis expressa est, quod quidem satis erat, simulque haec approbatio adiuncta: »Nam D. curator muris reficiendis erat«. Posterior pars facile hoc novo enthymemate efficitur: »Ii, qui operibus publicis praefecti sunt, exercendorum iudiciorum ius habent«.

---

1) cf. Cic. de inv. I, 34 sqq., Quinctil. V, 10, 2 sqq., V, 14, 5 sqq. praeterea Ebhardtii libellum: „Der rhetorische Schluss und seine Anwendung in den Schriften der Griechen und Römer“ inscriptum et in programmate gymnasii Weilburgensis a. 1866 editum.

2) cf. Quinct. V, 14, 1–4. et Ebhardtii libellum. 3) §§ 13—16.

»Atqui Demosthenes erat operi publico praefectus«. Conclusio supplenda est haec: »Ergo habebat Demosthenes ius exercendorum iudiciorum«. Principalis autem enthymematis conclusio haec est supplenda: Ergo Demosthenes magistratus erat et rationes ei erant referendae. Toti denique enthymemati adhortatio iudicum affixa est, ne ab illis, quae ad veritatem ab oratore exposita essent, quasi praestigiis quibusdam et captionibus adversariorum depellerentur, atque ut ne audire quidem talia vellent, sed ipsas leges obiicerent.

Sequitur epichirema [1]). Quum autem enthymema in eo maxime versetur, ut ea, quae adversarii contra disputaturi sint, Demostheni, quod non magistratum gereret, sed aut ministerio quodam fungeretur aut procurationi cuidam praefectus esset, rationes referendas non fuisse, refutentur et tamen magistratum gessisse illum probetur, epichiremate refellitur eorundem exceptio, quod ex suis largitus esset, ideo Demostheni rationes non fuisse referendas. Propositio haec est: »Omnes, qui quamvis reipublicae partem administrant, rationes referre necesse est, etiamsi nullas pecunias publicas acceperint, sed de suis largiti sint. (§ 17 et § 22). Quae approbatur variis exemplis. (§ 18—20). Assumptio praecipue verbis »*Δημοσθένην τὸν συλλήβδην ἁπάσας τὰς Ἀθήνησιν ἀρχὰς ἄρχοντα*« continetur (§ 26 fin), quibuscum sequentis paragraphi verba »*καὶ τὰ δημόσια χρήματα διεχείριζε*« coniungi possunt: »Atqui Demosthenes paene omnes partes reipublicae et pecunias publicas administrabat«. Approbatio et conclusio una verborum complexione comprehenduntur. Antecedit autem conclusio: »Ergo Demostheni rationes erant referendae«. Tum approbatio: »Nam curator theoricorum et muris reficiendis praefectus erat«. (§ 24). Porro eum his muneribus re vera tum praefuisse necdum rationes retulisse, testimonio tabularum publicarum demonstratur (§ 24 et § 27). Ut autem rem maxime augeat, Aeschines theoricorum munus antea tantum fuisse exponit, ut multa alia munera simul complecteretur, quin etiam paene tota rei pecuniariae administratio in eo posita esset.

---

1) §§. 17—27.

Cui expositioni scite adiungit hoc argumentum ex minore, quod vocant: Quum per leges non liceat, eum corona donare, qui cuiusvis muneris, quod gerat, rationes non retulerit, quanto minus eum licet, qui paene omnia reipublicae munera complectatur eorumque rationes non retulerit? (§ 26).

Sequitur alterum enthymema[1]), quo refelluntur haec, quae adversarii obiecturi sint, Demosthenem, quod non universi populi, sed tantum tribulium suffragiis curator muris reficiendis creatus esset, non in magistratuum numero fuisse habendum. »Etiam ii, qui a tribubus et pagis ad pecunias publicas administrandas creati sunt, in magistratibus sunt habendi«. Haec propositio expressa est in §§ 29 et 30 et partim repetita in § 31 init. Ibidem sequitur assumptio: »Atqui Demosthenes, a Pandionide tribu curator muris reficiendis electus, decem talenta de aerario acceperat«. Conclusio supplenda est haec: »Ergo Demosthenes in magistratibus erat habendus«. His rursus adnexus est simplex syllogismus oratorius, qui finis ac summa totius argumentationis est. Propositio haec est: »Lex vetat, eum, qui, quum magistratum gerat, rationes non retulerit, corona donari«. Assumptio: »Atqui Ctesiphon scitum fecit, ut Demosthenes, quum rationes nondum retulisset, corona donaretur«. Conclusio: »Ergo Ctesiphon scitum fecit, quod contra legem est«.

Quodsi quis totam argumentationis rationem consideret, mirum esse videatur, quod Aeschines, ut, Demostheni rationes referendas fuisse, probaret, apparatu quodam trium argumentorum usus sit, quum aut solum epichirema aut certe cum priore enthymemate suffecisset, aut etiam id, quod efficiendum erat, uno aliquo argumento comprehendi potuisset. Nam, ut supra indicavimus, epichiremate hoc maxime probatur, in quo summa controversiae versatur, Demostheni rationes referendas fuisse, et prioris enthymematis haec inprimis vis est, ut idem magistratum gessisse coarguatur. Quibus rebus argumentatio ita absoluta esse videtur, ut plane nihil ei desit; atque re vera posteriore enthymemate nihil novi nihilque aliud efficitur, quam,

1) § 28 — § 31.

in magistratibus Demosthenem habendum fuisse. Neque tamen supervacanea aut molesta et putida eiusdem sententiae repetitio putanda est, sed omnis hic argumentandi modus ad naturam Graecorum Romanorumque eloquentiae ac quotidianum iudiciorum concionumque usum referendus. Nam, quum doctrina eorum, qui sophistae nominantur, non modo omnem sentiendi cogitandique rationem, sed etiam morem civilem inprimis Atheniensium immutare coepisset, magna copia humilium minutorumque artificiorum ac tamquam machinarum in consuetudinem iudiciorum concionumque irrepebat, quae mox tam tritae erant, ut vel gravissimi viri iis uti non vererentur, neque ii, qui audiebant, magnopere offenderentur. Itaque accusatoris permultum interesse aequum erat, ut, quaecunque suis argumentis ab adversariis opponi possent, excogitaret, excogitata autem ostenderet et refutaret, ne illi iis postea uterentur, aut, si tamen uti auderent, ne iudices caperentur aut aliqua ratione commoverentur. Permultum referebat, ut, coacervata copia argumentorum, omnia deverticula omnesque latebras adversariis praecideret, ut ii tamquam laqueis irretiti atque nudi destituti et ab omni auxilio derelicti inferiorem causam dicere viderentur. Hac quidem arte inter omnes eminet Demosthenes, sed Aeschines huic non multum cedit, id quod ex hoc exemplo perspicere licet. Est autem haec tota argumentatio ad formam quoque refutationis composita, quum ab iis proficiscatur, quae Aeschines ab adversariis contradictum iri suspicatur. Quae ratio a rhetoribus in figuras sententiarum refertur et nomine *πρόληψις* sive *προκατάληψις*, Latine praesumtio sive anteoccupatio, appellatur. Cuius vis igitur haec est, ut argumenta, quibus adversarius in suam rem uti possit, praeoccupentur simulque illico refutentur [1]. Iam vero quaeri potest, qua ex causa Aeschines tertium argumentum cum primo non coniunxerit aut in secundo loco collocaverit. Etenim apparet, illius sententiam magis ad primi, quam ad secundi, argumenti similitudinem accedere. Sed in hoc quoque magna ars Aeschinis laudanda est, quod totam ar-

1) Cf. Volkmann p. 274.

gumentandi rationem ad veritatem naturae vitaeque humanae instituit. Quis est enim, cui cum altero de quavis re disputanti et argumenta adversarii refellenti non acciderit, ut is, si pertinax esset et summo studio concertationis incitaretur, nullum vero amplius videret argumentum, quo ad suam sententiam confirmandam uti posset, ad aliquid eorum, quae iam refutata erant, refugeret idque, etiamsi paullulum mutatum, denuo opponeret? Simul autem haec ratio ab Aeschine callide efficta est, ut ipsa specie adversarii causa inferior esse, atque hic ipse sophisten agere videretur. Ac profecto Aeschines tanta virium contentione adversarium compressit et prostravit, ut is, omni iusta defensione privatus, perpauca tantum haberet, quae contradiceret, et haec omnino talia essent, quae ab illo iam antea essent refutata. Respondet enim Demosthenes, eorum, quae de suis facultatibus sua sponte civitati largitus esset, rationes sibi non fuisse referendas. Hoc rem ipsam docere, neque ullam legem aliter praecipere. Sed recte disputat Aeschines, quum dicit, largitionis sane Demostheni rationem non fuisse reddendam, sed ab omni ratione reddenda eum non vacasse· etenim hac demum cognosci potuisse, num re vera ille de suis largitus esset ac nonne publicae pecuniae magnam partem avertisset. Tunc quidem, quum haec causa agebatur, Demosthenes iam pridem rationes retulerat et suam fidem liberalitatemque probaverat, sed nondum illo tempore, quo actio instituebatur· quare summo iure Aeschines hoc argumento uti poterat.

Caput V.

De secundo argumentationis loco.

Absoluto primo accusationis loco, orator statim aggreditur ad probandum secundum. Esse enim contra leges, quod Ctesiphon rogaverit, ut in theatro Demosthenes corona donetur ibidemque hic honos praedicetur. In hac re confirmanda aliam rationem ac, qua antea usus est, iniit. Omnino vero laudandus Aeschines est, quod argumenta non ad unam eandemque speciem designare, sed maxima cum varietate, ut res quaeque postulare

videtur, conformare solet. Hic enim statim legem, quae erat de renuntiatione coronae a populo aut a senatu donatae, affert cuius utilitate breviter demonstrata, quae rogatio Ctesiphontis sit, quamque ea illi repugnet, comparat. Deinde refellens, quae adversarios contradicturos esse coniicit, defensionem eorum praecidere studet. Hos enim responsuros esse, duas esse de renuntiationibus leges, quarum unam vetare, nomen eius, qui a populo coronetur, extra concionem renuntiari, alteram autem, quam Dionysiacam vocant, permittere, ut in theatro renuntiatio fiat, videlicet si populi scitum factum sit. Atque ex hac lege Ctesiphontem rogasse. Haec adversariorum duplici ratione Aeschines refutat. Ac primum quidem dicit, si vera essent, quae illi dicerent, effici, duas inter se repugnantes leges ratas esse id quod fieri posse negat, quippe quum, iam pridem thesmothetas curasse, ut alterutra abrogaretur, necesse sit. Quod quum factum non sit, falsam esse adversariorum orationem. Quod argumentum, quum per se tantummodo probabile esse posset — etenim in vel optime instituta atque administrata republica per imprudentiam hominum interdum peccatur — tamen necessarium finxit, ut Atheniensium gloriae indulgeret, quos libenter audire par erat, quum reipublicae administratio tamquam optima praedicabatur. Quare haec ratio ad benevolentiam iudicum augendam prudenter composita erat. Deinde, ut Dionysiacam legem ad rem propositam minime pertinere, demonstret, causas, ex quibus ea constituta sit, exponit eiusque vim hanc esse docet, ut quum alia, prorsus aliena, tum vero, coronas ab exteris civitatibus cuivis donatas in theatro renuntiari, iubeat, si populo placuerit. Hic quidem locus plane ac dilucide in lege expressus non fuisse, sed ab Aeschine ex verbis »*μηδ' ὑπ' ἄλλου μηδενός*« expromtus esse videtur. Tum ipsas leges recitari iubet, quarum ex verbis concludens ea, quae ante dicta erant, repetit, eorum quidem nomina, qui ab extera aliqua civitate corona donati sint, in theatro renuntiari licere, at eorum, qui a populo Atheniensium, nullo alio loco, nisi in concione.

Iam vero, quum Demosthenes contraria contendat et uterque alteri obiiciat, eum non integras afferre leges, sed decurtare

et malitiose interpretari, quomodo haec rerum discrepantia tolli possit, magnaexsistit quaestio. Nam, quum neque ipsae leges servatae sint, neque certa testimonia veterum scriptorum, quae in illarum notitia nitantur, exstent, sed, quae a nonnullis de hoc loco proferuntur, ex orationibus conclusa videantur, haud parvam difficultatem rem habere, apparet. Utri maior fides habenda videtur? Utrum suspicemur artibus et dolis usum esse? Nam simpliciter existimare, quae vulgaris opinio de utriusque natura ac moribus est, Aeschinem fraudulentissime callidissimeque omnia in rem suam detorsisse, Demosthenis autem interpretationem legum in universum rectam et veram esse, non modo iniquitatis, sed levitatis etiam esse videtur, praesertim quum in superiore argumentatione hic fraudis sit convictus. Itaque nihil relinquitur, nisi ut ipsam argumentationem utriusque examinemus ac perscrutemur, si hac ratione res confici possit. Sed antea placet, virorum doctorum sententias diversas ostendere. Ac veteres quidem omnes, quoad equidem cognoscere potui, inter se consentiunt, veram omnino legum interpretationem apud Aeschinem inveniri, apud Demosthenem falsam. Velut legitur in iis, quae aliquis grammaticus ad hanc orationem praefatus est: »*Μέμφονται μέντοι τινὲς τὸν Αἰσχίνην, ὅτι οὐκ ἐνδιέτριψεν ἐν τῷ παρανόμῳ, ἀλλὰ καὶ τῆς πολιτείας κατηγορεῖ τοῦ Δημοσθένους, καλῶς πεπολιτευμένου τοῦ ἀνδρός*«. Porro vice versa de Demosthene scriptum est in iis, quae secundo loco eius orationi vulgo praemittuntur: »*Τοὺς μὲν γὰρ ἄλλους δύο νόμους, τόν τε τῶν ὑπευθύνων καὶ τὸν τοῦ κηρύγματος, εἰς τὸ μέσον τοῦ λόγου ἀπέρριψε, στρατηγικῶς κακοὺς εἰς μέσον ἐλάσας, τῷ δὲ ἰσχυροτάτῳ εἰς τὰ ἄκρα προσκέχρηται, το σαθρὸν τῶν ἄλλων ἐξ ἑκατέρου ῥωννύς*«. Et ibidem paulo infra: »*Κεφάλαιον δέ ἰσχυρὸν τῷ μὲν Αἰσχίνῃ τὸ νόμιμον, τῷ δὲ ῥήτορι* (i. e. Demostheni) *τὸ δίκαιον*«. Quid? quod vetus enarrator ad Theonis progymnasmata cap. IV. med. [1]) adnotat: *Εἰδέναι δεῖ, ὅτι οὐκ ἀεὶ φροντιοῦμεν τῆς σαφηνείας, ἀλλὰ σαφῶς μὲν ἐροῦμέν ὑπὲρ ἡμῶν, ἀσαφῶς δὲ τά καθ᾽ ἡμῶν, ὥσπερ καὶ Δημοσθένης*

1) Walz, rhetores Graeci, vol. I, p. 260.

ἐν τῷ περὶ τοῦ στεφάνου οὐκ ἔχων λῦσαι τοὺς καθ' ἑαυτοῦ νόμους, οἷς Αἰσχίνης ἐχρήσατο κατ' αὐτοῦ, κατέφυγεν ἐπὶ τὸ ἀσαφές, οὑτωσὶ λέγων: τῶν μὲν οὖν νόμων etc. [1]). Nihil autem planius ac definitius expressum est, quam quae Syrianus, rhetor, dicit [2]). Verba sunt haec: »Χρὴ δὲ τοὺς μετὰ τέχνης ἐργάζεσθαι τοὺς λόγους ἐπιχειροῦντας ταῖς ἀποδείξεσι συμπλέκειν τὰς ἐπιφορὰς, ἀλλὰ μὴ ἔξω τοῦ προκειμένου βαδίζειν, εἴπερ μὴ μέλλοιμεν τὸ τοῦ Αἰσχίνου παθεῖν, καθ' ἑαυτῶν φασιν ἀμώμενοι κόνιν. Καὶ γὰρ Αἰσχίνης ἐν τῷ κατὰ Κτησιφῶντος οὐκ ἀρκεσθεὶς παράνομον δεῖξαι τὸ γραφὲν κατὰ τοῦ Δημοσθένους ψήφισμα, ἀλλὰ προςθεὶς, ὡς οὐδὲ ἄξιος στεφάνου ὁ Δημοσθένης, πρόφασιν τῷ ἀντιδίκῳ τῆς τῶν οἰκείων πολιτευμάτων διεξόδου κεχορήγηκεν ἄφθονον· εἰ δὲ περὶ μόνον ἔστη τὸ κρινόμενον (i. e. προκείμενον, παράνομον), θᾶττον ἂν εἷλε Δημοσθένην Τιμάρχου«. Quibus ex omnibus haec sententia elucet, legum praesidio non minus in hoc quam in priore loco Aeschinem adversariis superiorem fuisse. Aliud antiquitatis testimonium sub finem huius quaestionis commemorabimus. Inter recentiores autem summa dissensio est. Quum, ut alios omittamus, L. Spengelius [3]), ab Aeschine rem omnino ad veritatem accomodate demonstratam esse, obtineat, neque aliter olim Westermanno [4]) visum sit, alii, inprimis A. Schaeferus [5]) et Dissenius [6]), quibus postea, mutata sententia, Westermannus [7]) assentitus est, contra disputant, Aeschinis totam argumentationem in turpissimis artificiis et dolis positam esse videri. Ac profecto negari non potest, nonnulla in utraque oratione inveniri, quae pro Demosthene, contra Aeschinem esse videantur.

Primum enim plane et aperte ille hunc accusat, quod non

1) Dem. d. cor. § 111. 2) Rhet. IV, 205.

3) In actis academiae Bavaricae, v. X, p. 29—97: „Demosthenes Verteidigung des Ctesiphon".

4) In libello „de publicis Atheniensium honoribus ac praemiis" inscripto, p. 52—55.

5) Demosthenes III, 214, A. 2. u. 262.

6) In orationis Demosthenicae editione ad § 120.

7) In orationis Demosthenicae editione Weidmanniana ad § 121.

integras recitaverit leges, sed alia earum verba commutaverit, alia prorsus omiserit, atque ipse, quum recitata ea lex est, cuius testimonio utitur, eiusdem verba »πλὴν — ψηφίσηται« contenta voce iterum repetit et adversario obiicit [1]). At vero huius argumenti vis eo tollitur, quod etiam Aeschines firmissime adseverat, legem plane praecipere, quo loco coronatorum nomina renuntianda sint, quo loco non sint, deinde, ipsis verbis recitatis, illam praeclare se habere demonstrat, tum eius summam, quae quidem ad causam propositam pertinet, ipse repetit et, quod Ctesiphon rogaverit, ei repugnare bis deinceps (§§ 34 et 35) et aperte declarat, postremum eandem sententiam in perorando (§ 204) in iudicum memoriam redigit.

Alterum, quod Aeschinis fidem suspectam reddat, est, quod huic Demosthenes, occultationis vel omissionis figura usus, tot renuntiationes quum aliorum, tum sui ipsius in theatro iam factas esse, obiicit. Sed ne huic quidem argumento multum tribui debet, quum factum esse possit, ut toties lex negligeretur. Nam Athenis posterioribus temporibus leges etiam a magistratibus saepe non esse observatas, multis ex locis veterum scriptorum cognoscitur. Quod ipse Demosthenes concedere videtur, quum in oratione contra Androtionem [2]), ut praecidat adversario partem defensionis, dicat, si iam saepius, quae legibus repugnent, rogata et decreta sint, hanc non esse iustam causam, cur adversarius suam rogationem legibus repugnantem perferre debeat. Similiter idem in oratione contra Aristocratem [3]) monet, illud tantum spectandum esse, utrum legitima sit adversarii rogatio, necne, non, utrum similia iam antea decreta sint, necne. Quid? quod in oratione contra Leptinem [4]) dicit, eum effecisse, ut rogatio illa tam gravis tantique momenti esse videretur, ut, neglectis omnibus, quae antea fieri leges iuberent, statim ad concionem deferretur. Ut alius quoque oratoris testimonium afferamus, Isocrates in oratione, quam »de pace« scripsit, haec fere queritur [5]). »Quum plurimas leges sanciamus, eas adeo

1) Cf. § 121 init. 2) § 6—7. 3) § 95 – 99. 4) Cf. inprimis § 90—97. 5) § 50.

non curamus, ut exempli causa, supplicio maximo proposito, si quis pecunia alium corrupisse convictus sit, eos, qui palam id faciunt, imperatores deligamus«.

Tum ipsis verbis Dionysiacae legis, quantum quidem ex Aeschinis explicatione perspicere licet, coronae exterae nominatae non esse, sed, quae de his illam iubere Aeschines dicit, conclusa ab eo ex verbis generatim atque universe definientibus: »*μηδ' ὑπ' ἄλλου μηδενός*« (§ 44 et 45) videntur. Atqui idem de exteris coronis tam multa verba fecit et morem in theatro eas renuntiandi adeo improbavit et, maxime propter has legem datam esse, tam aperte affirmavit, ut mirari liceat, cur earum plana ac definita mentio, non dicam primo loco, sed omnino nusquam in lege facta sit. Accedit, quod orator verbis: »*τί τὸ καταλειπόμενόν ἐστι* etc.« (fin. § 45) significat, nihil aliud amplius, quam ipsas exteras coronas, in illa referendum esse, quae verbis »*ὑπ' ἄλλου μηδενός*« expressa sint. Nam non minus mirum est, cur pro his non potius verba »*ὑπ' ἀλλοτρίας μηδεμιᾶς πόλεως*« perscripta fuerint. Cuius rei difficultas tolli possit, si statuamus, quo tempore lex Dionysiaca data sit, renuntiationes exterarum coronarum omnino rarissimas fuisse, ita ut haud magnae offensioni essent, verum illa alia renuntiandi genera, quorum lex mentionem facit, frequentissima, ita ut propter haec ipsa lex constitueretur. Postea autem fortasse exterarum coronarum renuntiationes, etiamsi populi permissu, frequentiores fiebant, quum cetera renuntiandi potestas rarius fieri soleret. Itaque propter exteras coronas potissimum lex data esse poterat postea videri. Ac fortasse, ut probabilior sua disputatio esset, Aeschines eius originem ac vim ad consuetudinem civilem, quae tum erat, revocavit. Quamquam haud ignoramus, huius coniecturae probabilitatem non tam magnam esse, ut nihil habeat dubitationis.

Quarta causa, cur Aeschinis interpretatio falsa videri possit, est, quod, ut argumentum afferat iis, quae de origine ac natura Dionysiacae legis exposuerat, in ea scriptum esse dicit, ut corona in theatro renuntiata ei, qui accepisset, rursus adimeretur et Minervae consecraretur, quum, quicunque in concione aut in

senatu eius honoris particeps factus sit, ad sempiternam possessionem coronam teneat. Illum donandi modum addit simul esse privationem quandam, fieri autem ideo, ne quis alienam gratiam pluris aestimet, quam patriam. At vero haec res callidissime perversa et detorta esse videtur. Verisimile est, maiori fuisse honori, si corona adimebatur coronato et suspensa in templo Minervae ad sempiternam memoriam consecrabatur, praesertim quum inscriptione, quae et nomen eius, qui acceperat, et causam honoris indicabat, ornari soleret [1]). Quamquam hic locus mihi quidem videtur non plane patere. — Porro per se non probabile est, theatrum, cui loco maxima auctoritas tribueretur, tantum ad minorum viliorumque coronarum, videlicet exterarum, renuntiationem constitutum fuisse, at concionem aut curiam, quibus in locis minus honoris esset, ad earum, quae a populo aut a senatu donabantur, quum hae pluris aestimarentur.

Postremum per se maxime dubium esse videtur, populum ius permittendi, ut coronae a se decretae in theatro renuntiarentur, prorsus abiecisse. Sed haud scio an hunc locum probabilius sic expedire possimus. Coniicimus enim, prioris legis tum, quum data sit, re vera fuisse eam vim et sententiam, quam auctorem voluisse Aeschines dicit [2]), postea autem, quum propter illas renuntiationes, quae theatro molestiam exhiberent, lex Dionysiaca daretur, coronas populi et senatus ideo non insertas esse, quia, quod ad has attinebat, nulla causa molestiae erat. Nam usque ad illud tempus fortasse nondum evenerat aut certe usitatum non fuerat, ut nomen alicuius a populo aut a senatu coronati in theatro renuntiaretur. Quum autem coronae a populo decretae non maiorem molestiam concioni exhiberent, quippe qui ad has renuntiandas locus esset legitimus, nulla necessitas premebat, ut, quae de iis lege constituta essent, aliquo modo commutarentur. Id quod Aeschinis ipse significat, quum enarrat (§ 44): ... »*νομοθέτης τίθησι νόμον οὐδὲν ἐπικοινωνοῦντα τῷ περὶ τῶν ὑπὸ τοῦ δήμου στεφανουμένων νόμῳ, οὔτε λύσας ἐκεῖνον· οὐδὲ γὰρ ἡ ἐκκλησία ἠνωχλεῖτο*, etc.« Ita

1) Cf. Schaefer III, 203. 2) §. 33.

quidem praeter rerum naturam ac rationem accidit, ut maiores coronae in loco minoris auctoritatis, minores autem in maioris auctoritatis loco renuntiarentur. Sed eiusmodi inter se non convenientia quum in quaque republica interdum inveniuntur, tum apud Athenienses non ita insolita fuisse videntur. Quid vero? Nonne valde mirum est, Demosthenem non potius hoc argumentum Aeschini obiicere, sed, miserrima causidici fallacia utentem, nullius, qui coronam accipiat, quidquam interesse, quo loco accipiat, dicere?

Iam vero, conquirentibus nobis, quae pro Aeschine et contra Demosthenem esse videantur, primum vix probabile est, Aeschinem hunc locum in accusationem recepturum fuisse, nisi is legibus contentus fuisset. Quis enim neget, magis conduxisse illi eum totum omittere, quam potius ad apertissimarum rerum turpissimas depravationes confugere? Nonne necesse erat, iudicum animos maxime abalienari? Atque, etiamsi contingeret, ut initio multos ex iudicibus deciperet, nonne ei verendum erat, ne a Demosthene, iuris ac legum peritissimo, postea facile redargueretur? Immo vero summae vel stultitiae vel levitatis fuisset, prorsus falsa accusare, quibus ab adversario refutatis, vim accusationis imminui necesse esset. Id quod Spengelius quoque intellexit [1]). Dixerit quidem aliquis, Aeschinem postea, quum ad examinandam Demosthenis reipublicae administrationem descenderit, non modo res, quas fictas esse manifestum sit, huic exprobrare, sed etiam nonnulla, quae a se ipso gesta sint, vitio vertere. Sed huius rei ratio plane diversa est. In illa enim parte orationis res gestae narrantur, quae vix gestae erant, quum diversis studiis hominum inter se inimicissimorum in contrarias partes ita depravabantur, ut non modo, qua ratione aut qua mente, sed ne a quibus quidem gestae essent, saepe perspici posset. At hic agitur de

1) In ea quaestione, quam supra commemoravimus, pag. 60—61. Ceterum non Spengelii auctoritate commotus sum, ut hanc sententiam amplexarer, sed ipse et in hanc et in illam, quam infra de interpretanda Dionysiacae legis exceptione explicabo, iam veneram, antequam de hac re ab illo disputatum esse vel cognovi.

rebus ad leges pertinentibus, quae ante omnium oculos propositae erant.

Alterum signum maioris fidei Aeschinis est, quod, ut per superiorem, ita per hanc totam argumentationem summissa quadam et leni oratione utitur, ut nihil aliud, nisi docere, velle videatur. Atque ipse Schaeferus [1]) praedicat, in tota orationis parte, quae in controversia iuris versetur, ad rerum dignitatem apte ab Aeschine disputatum esse. Hic non in adversarios vehementer invehitur, hic nihil acerbius aut contumeliosius dictum legimus, quo vanitatem argumentationis tegere studeat. Tantummodo ad iudices verba faciens, accurate et singula persequens exponit, cur, quod Ctesiphon de modo coronandi rogaverit, contra legem esse appareat. Quid autem Demosthenes? Quem nonne oportebat eniti atque contendere, ut ea, in quibus maxima vis argumentationis adversarii posita esset — erat autem posita in verbis prioris legis — refelleret? Nihilo minus opponit quidem adversario legis Dionysiacae verba, sed, summa illius argumentationis prorsus neglecta, adhibet latebram obscuritatis et brevitatis, quum rationes afferat, quae levioris momenti sint aut minime ad caput rei pertineant, et omnino totum hunc locum perquam breviter perstringat. Praeterea adversarium irrisione et cavillatione insectatur et ad extremum ad probra ac convicia transit. Itaque recte iudicasse nobis videtur ille vetus enarrator Theonis progymnasmatum, cuius verba supra attulimus [2]), Neque vero iuste defendi Demosthenem existimamus, si quis censeat, argumenta manifesto falsa refutandi hanc rationem maxime probandam esse. Sed, quum Aeschines de priore lege tam multa verba fecisset, quum in hac tam firmiter innixus haesisset, quum eam planissima oratione illustrasset, quum eiusdem terminis Dionysiacae legis vim circumscribi probasset, num par erat, Demosthenem id adeo non curare, ut ne ullam quidem apertam illius legis mentionem faceret? An dormitasse hic eum censeamus? Hoc enim etiam Demostheni interdum accidere, Ciceroni visum esse, Quinctilianus [3]) refert. Nobis

1) III, 229. 2) pag. 27. 3) X, 1, 24.

quidem persuaderi non potest, Demosthenem in re maxime manifesta tam graviter peccare potuisse, sed potius existimamus, si re vera Aeschinis argumentatio vana ac falsa fuisset et in corrumpendis ac quasi decurtandis legibus nixa, eum, ad iudices conversum, omnes dolos adversarii involucris artificiorum evolutos nudatosque aperturum et haec fere verba additurum fuisse: »Videtis, iudices, haec omnia istum hominem plane finxisse et impudenter ementitum esse. Quodsi talis est in rebus, quae a quoque cognosci ac perspici possunt, quid eum ausum esse censetis, quum res praeteritas exponebat, quarum natura ac ratio iam tum, quum gerebantur, difficilius intelligi poterat?« Quod autem attinet ad levioris momenti rationes neque ad caput rei pertinentes, ea, quae ille de superioribus renuntiationibus in theatro factis profert, iam supra disputata sunt. Si vero Aeschini obiicit, quicunque coronam accipiat, eius nihil prorsus interesse, quo loco et coram quibus hominibus accipiat, quis est, qui, id argutius excogitatum, quam verius dictum esse, non intelligat? Quid? quod iudicium de toto loco in legibus posito cum iudicio rerum a se gestarum cohaerere dicit?[1]. Nonne haec quoque ad perturbandam iudicum mentem callide ficta esse apparet? Nonne eadem clare significant, illum ad superandum adversarium de auxilio legum desperare? His inprimis perpensis, non possumus, quin censeamus, Demosthenis disputationem de modo coronandi haud fere minus longe a vero abesse, quam, quae de rationibus referendis praecedat.

Iam vero excutientibus nobis ipsa verba Dionysiacae legis, quae quidem ab utroque afferuntur, apud Demosthenem exceptio sola legitur, quae extrema in lege collocata erat. Cuius verba quum apud hunc alia sint, ac quae apud alterum scripta sunt, tamen maximum et gravissimum inter utraque discrimen nobis intercedere non videtur. Aeschinis enim verba haec sunt: *»ἐὰν μὴ ψηφίσηται ὁ δῆμος«*, Demosthenis autem haec: *»πλὴν ἐάν τινας ὁ δῆμος ἢ ἡ βουλὴ ψηφίσηται«*. Quum autem etiam eorum, quae exceptionem praecedunt, si non verba ipsa, at certe

1) § 58.

sententia apud Aeschinem legatur, rectene an secus haec prolata sint, quaeritur. Quodsi sumimus, ea omnino recte dicta esse — neque ulla causa esse videtur, cur dubitemus —, exceptionis verba nullam aliam vim habere possunt, nisi quam Aeschines in iis inesse significat, hanc videlicet: nisi si populus (aut senatus, id quod apud Demosthenem additum invenimus) aliquorum nomina, qui ab aliis in ipsa lege supra nominatis coronam recepturi sunt, renuntiari iubet, i. e. decreto permittit, ut renuntientur. Etenim ad accusativum »*τινας*« supplendum est »*ἀναγορεύεσθαι*« [1]). Contra Demosthenes hanc sententiam exceptioni subiici vult: nisi si populus aut senatus aliquorum nomina, qui a se ipso coronam accepturi sunt, renuntiari iubet. Quam interpretationem ab indole ac natura Graeci sermonis abhorrere, apparet. Si enim exceptio ad coronas a populo aut a senatu datas spectaret, id, praesertim in lege, planius exprimendum erat, hoc fere modo: *πλὴν ἐάν τινας ὁ δῆμος ὑφ᾽ αὑτοῦ ἢ ἡ βουλὴ ὑφ᾽ αὑτῆς στεφανουμένους (ἀναγορεύεσθαι) ψηφίσηται.* Sin vero opineris, infinitivum »*στεφανοῦν*« ad illa verba supplendum esse, nova difficultas, et haec quidem, exsistit, ut aut non de renuntiando, sed de coronando decretum intelligi possit, aut lex laboret vitio ambiguitatis, aut, hanc ipsam eius vim fuisse, concludendum sit, ut, quicunque a populo aut a senatu coronas acciperent, in theatro renuntiarentur. At, si res ita esset, certo Demosthenes adversario definite obiecisset, theatrum proprium illius renuntiationis locum esse, neque usquam alibi eam fieri. Ac ne illud quidem nostrae disputationi obstare putamus, quod apud Demosthenem verba »*ἢ ἡ βουλή*« addita legimus, si quidem in lege ipsa scripta erant. Nam factum esse potest, ut non modo populo, sed etiam senatui, illam renuntiationem permittere liceret. Quae si populi permissu fiebat, maior honos, si senatus, minor habendus est; semper autem adiunctum erit, utrum populus, an senatus, potestatem fecerit. Itaque perquam verisimile est, Demosthenem sententiam exceptionis callidissime detorsisse. Seiuncta sane ab iis, quae praecedunt, verba possunt videri eam

---

1) Cf. Spengelium pag. 60.

vim habere, quam ille fingit. Sed in hoc ipso eius calliditas cernitur. Quod maxime Aeschines respicere videtur, quum dicit (§ 35): »*Καὶ χρήσονται τοῦ νόμου μέρει τινὶ κλέπτοντες τὴν ἀκρόασιν ὑμῶν*«, sive haec verba in iudicio audita, sive postea inserta sunt. Demosthenem autem, eiusmodi artibus ac fallaciis uti, omnino religioni non habuisse, huius rei insigne testimonium afferri potest ex eius oratione contra Timocratem conscripta, ubi [1]), cuiusdam legis modo recitatae summam repetens, duo verba, quae maximi sint momenti, omittit. Quare unus veterum enarratorum haec adnotat: »*ἐκδέχεται — ὁ ῥήτωρ τὴν διάνοιαν τοῦ νόμου πρὸς τὸ αὐτῷ συμφέρον* etc.« Qua fraude nihil manifestius est, quum illa omissa verba et apud alios oratores et apud ipsum Demosthenem in oratione, quam contra Aristocratem conscripsit, ubi eiusdem legis mentio fit [2]), addita inveniantur [3]). Sin vero posueris, verba ac sententiam Dionysiacae legis a Demosthene recte expressam, ab Aeschine detortam esse, repugnantia huius cum altera lege exsistit· cuius ab Aeschine oppositae quum Demosthenes nullam rationem habeat, rei difficultas non aliter tolli posse videtur, nisi, utramque legem, etsi alteri repugnantem, exstitisse ac ratam fuisse, statueris, id quod sane fieri non potuisse putandum non est. Iam pridem enim tanta perturbatio in Atheniensium rempublicam invaserat, ut talia saepius acciderent. Velut ex Demosthenis oratione contra Timocratem, qua ille legem ab hoc latam oppugnat eamque tot aliis legibus repugnare docet, conatus leges permiscendi non inauditos fuisse, elucet. Ac, si idem in eadem oratione levitatem et licentiam oratorum castigat [4]), qui singulis fere mensibus novas leges ferant et antiquas ipsi tollant, in tanta rerum publicarum confusione saepius factum esse potest, ut novae leges sancirentur, quum antiquae et contrariae non abrogarentur. Neque iniuria haec a Dahmsio [5]) dicta sunt: ».... in legibus ferendis abrogandisve nequaquam illa aetate ad praecepta se adligabant, quae a Solone instituta erant. Iam dudum mala

---

1) § 59. 2) § 86. 3) cf. Schaefer I, 349; Dahms, studia Demosthenica. 4) § 142–143. 5) stud. Dem.

vigebat consuetudo, ut quovis tempore et quavis ratione leges ad populum ferrent neque de iis nomothetas sinerent iudicare etc.« Ita accidisse possit, ut, quum lex Dionysiaca ferebatur, exceptio illa ea mente, quam Demosthenes significat, adderetur, etsi altera lex contraria nondum abrogata erat. Sin autem Aeschines fieri posse negat, ut duae leges inter se repugnantes exstent et valeant, nihil aliud quam artificium est, quo tum, ut probabiliora, quae de legis Dionysiacae origine ac vi expositurus sit, reddat, tum, ut blandiatur Atheniensibus, qui laudes reipublicae suae libenter audirent, utitur. Si igitur ita se res habeat, uterque quidem pro sua parte recte disputavit, praeterquam quod Aeschines sententiam ac verba legis Dionysiacae detorsit. Sed, quum ex iis, quae in utramque partem disputavimus, multo minor fides Demosthenis argumentationi tribuenda esse videatur, concludere licebit, Aeschinem, quod quidem ad summam rei attineat, convicisse, Ctesiphontem, quod in theatro Demosthenem coronari renuntiarique voluisset, contra leges rogasse, quamquam, eundem callidis artibus vim argumentorum suorum augere, concedendum est.

Ad extremum liceat, quid Cicero de hoc loco sentiat, afferre. Qui certe videtur sequi Aeschinem, quum dicit [1]): »Quum *esset* .... et altera lex, eos, qui a populo donarentur, in concione donari debere«. Sin vero paulo infra [2]) iudicat: »(Causa) habet et legum interpretationem satis acutam in utramque partem«, tamen ab Aeschine quoque non sine artificiis et fallaciis disputatum esse, significat.

Sed non defuerunt, qui, hunc locum plane alium ab Aeschine peroratum, alium post, quum ederet orationem, scriptum esse, censerent. Velut Dissenius dicit [3]): »Videri potest Aeschines, quum in iudicio diceret, omisisse totam exceptionem legis et postea demum, quum ederet orationem, reperta callida interpretatione de ξενικοῖς στεφάνοις, hanc partem sic, ut legimus, elaborasse: quo posito intelligas, cur Demosthenes hic nihil respondeat de interpretatione ista, quam non audivisset«. Quae

1) De opt. gen. or. 7, 19. 2) ibid. 20. 3) ad Dem. de cor. § 120.

sententia mihi quidem non probatur. Nam, si re vera Aeschines legis Dionysiacae mentionem in iudicio fecit, eam potius ad illam »callidam interpretationem« adhibuisse, quam exceptionem prorsus omisisse putandus est. Illa maxime ad rem perturbandam valebat; hoc autem summae imprudentiae et temeritatis fuisset. An sperare debebat, Demosthenem, tam inficetam impudentemque fraudem planissime ostendere, praetermissurum esse? Quod autem hic Aeschini obiicit [1]), eum partes legum amputasse, hoc spectare potest ad verba »ἢ ἡ βουλή«, si quidem in lege perscripta erant. Sed haec omittere, minus interfuisse videtur. Sin vero Spengelius dicit [2]), totum de lege Dionysiaca locum (§ 35—48) ab Aeschine postea adscriptum videri, quum adversarium summam defensionis ab illa repetere vidisset, hanc sententiam multo minus probare possumus. Ac primum quidem nimia brevitas totius partis suspiciosa est. Nam, quum Spengelius ipse iudicet, renuntiationem in theatro contra leges fuisse, mirum est, cur Aeschines de hac re, qua eius causa valeret, non uberius et fusius disputaverit eamque varie illustraverit. Deinde, quum accusatoris sit, non modo sua confirmare, sed etiam, quae ab adversario opponi possint, coniiciendo ac divinando excogitare et, priusquam dicantur, refutare, eo magis mirandum est, hoc loco Aeschinem hanc rationem, ad fundamenta defensionis labefactanda maxime idoneam, neglexisse, quum alias saepissime ea utatur. Denique eum praenosse necesse erat, Demosthenem ad Dionysiacam legem confugiturum esse. Etenim constat, apud Athenienses litigantibus, priusquam iudicium fieret, quaestione instituta, leges et tabulas varii generis, quibus aut ad confirmandam aut ad refutandam accusationem usuri essent, ad eum magistratum, qui iudicium moderabatur, deferendas fuisse [3]). Minime autem statui potest, Aeschinem prioris legis, quum causam oraret, nullam mentionem fecisse. Quae si omnino non fuisset, nihil relinqueretur, nisi ut theatrum sollemnis et status locus omnibus coronis renuntiandis fuisset. Hoc vero Demo-

1) §. 121. 2) p. 61. 3) cf. Schoemanni antiquitates iur. publ. Graec. p. 279.

sthenes aperte ostendere non omisisset. Neque quemquam videmus, qui hanc sententiam amplexetur. Itaque concedimus quidem, nonnulla leviora et minoris momenti post mutata esse, sed existimamus, summas rerum atque sententias easdem in habita, easdem in scripta oratione fuisse [1]).

Caput VI.

De tertii argumentationis loci omni natura disseritur.

Absoluta accusationis parte, quae in ipsis legibus afferendis interpretandisque posita est — id quod rhetores *νόμιμον* vocant — Aeschines ad eam transit, in qua potissimum quaeritur, aequumne sit, Demosthenem propter vitam suam et res gestas coronari — id quod *δίκαιον* illi vocant. — Protinus vero, ut demonstratum erit, illum tanto honore indignum esse, eo ipso sequitur, ut Ctesiphon contra leges rogaverit, quae falsa in populiscitis scribi vetant. Haec igitur pars maxime in expositione et diiudicatione rerum gestarum versatur. Magno autem vitio vertunt Aeschini nonnulli ex antiquitate et huius aetatis, quod in priore accusationis parte non acquieverit, sed hanc quoque addiderit; quam si non attigisset, non dubium esse censent, quin iudicio vicisset. In hoc numero sunt ii, qui ab auctore eorum, quae huic orationi vulgo praemittuntur, *τινές* vocantur [2]), inprimis autem Syrianus, rhetor [3]), et ex nostra aetate Spengelius. Sed iure illis ille, his Maximilianus Hoffmannus [4]) occurrit. Recte ille, quum dicit: »*Μήποτε δὲ ἄριστα τοῦτο ἔπραξεν. ἐπειδὴ γὰρ εἶχε δόξαν μεγάλην παρὰ πᾶσι καὶ ὑπόληψιν ὁ Δημοσθένης ὡς λαμπρότατα πεπολιτευμένος, εἰκότως ᾠήθη ψυχροὺς καὶ οὐδενὸς ἀξίους φανήσεσθαι τοὺς περὶ τῶν παρανόμων λόγους, εἰ μὴ δόξαν αὐτοῖς ἐμποιήσει τὴν ἐναντίαν, ὡς ἄρα ὁ Δημοσθένης κακόνους ἐστὶ τῷ δήμῳ καὶ αἰσχρῶς καὶ ἐπιμέμπτως πεπολίτευται. διὰ*

1) cf. Schaeferum, III, part. II: III, 4 p. 75, 77, 81; cui de tota oratione hoc iudicanti omnino assentior. 2) cf. supra p. 27. 3) cf. p. 27. 4) Zeitschrift f. d. Gymnasialwesen, 1866: Zur Beurteilung des Demosthenes, p. 766.

τοῦτο ἐσπούδασε περὶ τοῦτο μάλιστα καὶ ἐν τούτῳ τῷ μέρει τῆς κατηγορίας τὸ πλεῖστον ἐνδιέτριψεν«. Nam in hoc iudicio non tam de iuris controversia agebatur, sed, utrum omnis ratio, quam Demosthenes, quum ad rempublicam accessisset, sequutus erat, probanda an improbanda esset. Hoc spectabat actio, ut auctoritas, potentia, gratia, qua Demosthenes iique, qui idem cum eo sentirent, apud populum multum valerent, semel infringerentur [1]). Ut omnino Atheniensium, qui certe tunc erant, animi in observandis iis, quae legibus constituta erant, non ita religiosi erant, sed potius, quid civitati prodesset, quaerebant, ita maxima vis huius iudicii non in eo erat, num contra leges rogasset Ctesiphon, sed utrum Demosthenis administratio reipublicae commodo an detrimento civitati fuisset. Itaque Aeschines ob illam iuris negligentiam Athenienses reprehendit (§ 192—193), quamquam non propter neglectas leges actionem instituisse, sed tantum in iis magnum causae firmamentum posuisse putandus est. Quodsi res a Demosthene publice gestas non perstrinxisset, suspicionem, se iure ac legibus tamquam integumento inimicitiarum uti, fecisset ideoque aut proclivius causa cecidisset, aut certe, Ctesiphonte damnato, Demosthenes ex praescripto legum coronatus esset [2]). At, dixerit quispiam, nulla re Aeschines causae suae magis nocere potuit, quam, quum iis argumentis, quae aperta mendacii ac calumniae signa prae se ferrent, utebatur. Quare utilius fuisset, hanc argumentationis partem prorsus omittere. Quae sententia leviter rem consideranti placet. Sin vero eam accuratius contemplamur, concedimus quidem, vanitatem huius loci, cur Aeschines vinceretur, causam fuisse, sed vitio ei vertere, quod omnino hunc tractandum susceperit, non recte iudicantis nobis esse videtur. Nam primum iam ex longo tempore, ut supra commemoravimus, quaecunque rerum aut domesticarum aut externarum fiebant, ab iis, qui in republica administranda diversissima quaeque inter se sequebantur, oratione ita depravabantur, ut paulo post, quam facta erant, quo modo aut quo auctore gesta essent, nesciretur; atque illa aetate tam multa

1) cf. Schaeferum III, 230. 2) cf. Hoffmann. l. l.

tamque gravia parvo inter se intervallo deinceps accidebant, ut populus, praesertim in socordia, qua tum laborabat, haud pauca modo facta e memoria deponeret· qua oblivione quaque socordia freti omnes oratores, Demosthene non excepto, impudentissime mentiri audebant. Itaque Demosthenes principio eius orationis, quam de falsa legatione contra Aeschinem habuit, in qua res, quae tribus annis ante gestae erant, accusat, vereri se dicit, ne iudices earum iam obliti sint [1]). Quocirca in hac quoque causa Aeschini oblivionem iudicum experiri et copiam mendaciorum variis orationis artibus obtegere licuit. Quin etiam ipse fatetur, in rebus a Demosthene gestis summam iudicii consistere, quum hoc caput his verbis incipit: »*Ἔστι δ' ὑπόλοιπόν μοι μέρος τῆς κατηγορίας, ἐφ' ᾧ μάλιστα σπουδάζω*« (§ 49 init.). Neque tamen ita modo haec ab eo dicta esse existimare debemus, ut vim et naturam iudicii aperte significaret, sed simul cum callida simulatione, quasi magnopere confideret, se illo accusationis capite Aeschinem maxime esse convicturum. Qua fiduciae specie deceptos iudices, si priorum locorum argumentationem satis recte se habere intellexerant, cum bona opinione reliqua audire, par erat. Nec minus prudenter ille, ut voluntatem iudicum in se propensiorem redderet, fecit, quod simplici, dilucida, modesta oratione, quid sibi, quid adversario probandum sit, ostendit. Hac propositione praemissa, ad totam vitam Demosthenis examinandam aggreditur cum significatione spei, quod de illius virtute ac meritis erga civitatem praedicetur, falsum ideoque eum indignum esse, qui tanto honore afficiatur, se probaturum. Constat autem haec omnis expositio ex tribus partibus, quarum prima docet, propter multas res, quas privatus Demosthenes aut gesserit aut passus sit, praedicationem illam falsam esse, altera autem, propter rempublicam ab eodem pessime gestam, tertia denique ei omnia deesse ostendit, quae propria sint viri popularis et patriae amantis. Sed huius argumentationis ratio a superioribus prorsus diversa est. Consentiunt enim plerique rerum existimatores, longe plurima eorum, quorum Aeschines

1) § 3. cf. praeterea Dem. de cor. § 138, Heges. de Halon. 18.

Demosthenem hic insimulat, partim prorsus ementita ac falsa, partim valde detorta esse. Quare etiam alio dicendi genere utitur, atque in superioribus locis, ubi in solo fere praesidio legum nixus erat. Hoc caput non habet simplicem rerum expositionem et dicendi moderationem, quam conscientia iustae causae ferre solet, sed summa copia et varietate conviciorum et calumniarum facetiarumque asperrimarum abundat.

Caput VII.

De tertii argumentationis loci parte prima.

Ac prima quidem pars brevissima est — complectitur enim tantum tres paragraphos (§ 51—53) — sed magna cum arte ac calliditate omnino composita. Recusat enim Aeschines, privatam vitam Demostheuis examinare, quod longum sit· quum vero nonnulla ex illa depromta per praeteritionem, quam vocant, attingit, non modo res quasdam vere factas in iudicum memoriam redigit, sed etiam, ut de aliis aut fictis aut detortis eorum suspicionem commoveret, fortasse effecit. Unum tamen est, in quo eum, quum nimio simulationis studio traheretur, peccasse arbitramur. Quod enim suspicionem deprecatur, tamquam privatam vitam Demosthenis propterea omittat, ut huic gratificetur aut civitatis utilitatem prodat, quis est, qui hac simulandi audacia et impudentia non obstupescat? Quanto magis iudicum animos offensos esse putemus? Nisi forte quis ironice illa dicta esse arbitratur. Nos quidem in eam opinionem adduci non possumus, quum Aeschines, nulla alia re, nisi communis salutis cura, commotum, accusationem se suscepisse, identidem asseveret. Finit hanc partem, apostrophe, quam vocant, Ctesiphontem petens. Ea ex duabus sententiis, interrogandi forma expressis, constat, quarum prior, conclusione ex iis, quae praecedunt, effecta, non quidem definite, sed, ad universum genus oratione traducta, Demosthenem non corona aurea afficiendum, sed reprehendendum esse, significat, posterior, Ctesiphontem, qui poenas det, dignum esse, ex iisdem illis concludit.

Caput VIII.

De secunda eiusdem loci parte.

Venimus nunc ad alteram huius capitis partem, qua, Demosthenem pessime rempublicam gessisse, Aeschines probare studet. In qua quum summa totius causae posita sit, non statim ad rem ipsam aggreditur, sed antea artificioso quasi prooemio recentem aditum ad attentionem et docilitatem iudicum sibi patefacere conatur. Ne enim hi de nimia narrationis longitudine timeant — diu autem multumque Demosthenes in republica versatus erat — rerum partitionem in quatuor aetates distributam proponit, qua, quando pars quaeque finem sit habitura, praesentire possint. Qua re, qui audiunt, aeque affici solent, atque ii, qui longum iter faciunt, milliariorum inscriptionibus. Nihil enim longius esse videtur, cuius quid extremum sit, haud ignores [1]). Et iure dicit Cicero [2]): »Recte habita in causa partitio, illustrem et perspicuam totam efficit orationem«. Et porro [3]): »ex qua conficitur, ut certas animo res teneat auditor, quibus dictis intelligat fore peroratum«. Quodsi, ipsius Demosthenis hanc partitionem esse, Aeschines dicit, non verisimile est, illum de re tam tenui ac levi minimeque ad res ipsas pertinenti aliquid praesignificasse, id quod Westermanno [4]) videtur, sed potius assentimur Schaefero, qui [5]), id fictum omnemque hanc rationem nihil nisi figuram quandam orationis esse, censet. Idem sentit vetus enarrator, quum dicit [6]): »*Χαριέντως ὁ Αἰςχίνης, ὅτι διαιρῶν τὴν κατηγορίαν εἰς τοὺς τέσσαρας καιροὺς οὐχ ὡς αὐτὸς ταύτην ποιούμενος τὴν διαίρεσιν τῆς κατηγορίας ποιεῖται τὸν λόγον, ἀλλ᾽ ὡς τοῦ Δημοσθένους χρωμένου ταύτῃ τῇ τῶν καιρῶν διαρέσει, ἵνα ὁ λόγος αὐτῷ ἀνεπίφθονος γένηται*«. Quod autem is, ex hac causa Aeschinem illam partitionem ad Demosthenem retulisse, ne sibi ea invidiosa esset, addit, nobis minus placet, sed existimamus, illum propterea eam rationem

---

1) cf. Quinctil. IV, 5, 22—23 et Volkmann. p. 65. 2) de inv. I, 22, 31 init. 3) ibid. med. 4) in libello „de Aeschinis in Ctesiphontem oratione“ inscripto. 5) III, part. II, p. 77. 6) ad § 54 hui. orat.

iniisse, ut ipse conscientiam iustae causae et fiduciam, etiamsi aliquid adversario cederet, tamen se victurum esse, habere videretur. Ergo id consequi voluit, ut bonam opinionem de se iudicibus insereret. Hoc fortasse, ut melius intelligatur, ad quid, quae sequuntur, spectent, concedi potest, Demosthenem aut in publico aut in aliquo circulo, optime se de republica meruisse, gloriatum miratumque esse, quas res a se gestas adversarius accusaturus esset, eamque admirationem ad Aeschinem delatam esse — nisi plane haec omnia ac callide efficta sunt. Quis est autem, qui, singulari arte ac prudentia hunc locum compositum esse, non intelligat? Nam, quum hic Demosthenem insolentius ferociusque minantem et in vanitate opinionis versantem, adversarium, quid respondeat, laboraturum esse, facit, tum autem ipse maxima cum gravitate inexspectatum responsum dat, nonne haec ad iudicum animos vehementer permovendos accomodata sunt? Quis nostrum legens non summa delectatione afficitur? Quis non admiratur incredibilem quandam facultatem dicendi? Aperta denique breviter et modeste spe, quaecunque mala civitati inciderint, auctorem eorum esse Demosthenem, se probaturum, partitionis summam, ut attentionem magis excitet, repetit et per propositionem ad primam aetatem reipublicae a Demosthene administratae transit.

Quum autem haec quoque narratio rerum, quae aut a Demosthene ipso aut eius auctoritate gestae sint, iis plane repugnet, quae apud hunc de iisdem rebus exposita ac defensa legimus, maxime consentaneum esset, ut supra in controversia iuris verba utriusque comparantes veritatem omnino extorsimus, ita hic, assumtis insuper aliis ipsorum aliorumque testimoniis, eandem in quaque re rationem sequi. Neque enim iure dici videtur, fidem omnino Demosthenis, alterius vero calumnias ac mendacia ita probata esse, ut aequum non sit, amplius dubitare, praesertim quum ante hos paucos annos L. Spengelius cum multorum certe admiratione ostendere conatus sit, Demosthenem artificem quidem dicendi maiorem, at minore fide dignum rerum narratorem Aeschine esse. Quae sententia acutissimi viri, quamquam permultum profecit ad rem illustrandam, nihilo minus a

veritate longe abesse nobis videtur[1]). Quare nihil magis res postularet, quam, ut, quae de singulis rebus ab utroque exposita essent, excuteremus et, uter vera, uter falsa dicere videretur, dissereremus. Sed, quum haec quaestio longior esset futura, quam natura huius libelli patitur, rebus ipsis omissis, tantum adiumenta externa, quibus ad fidem orationis faciendam orator usus sit, considerabimus. Ut autem dicamus, quid nos sentiamus de universa re: Demosthenem quoque multa detorsisse, multa finxisse, multa calumniatum esse, apparet, sed, quae eiusdem generis apud Aeschinem invenimus, tam multa et talia sunt, ut non minus calumniatoris audaciam horreamus, quam artificium oratoris admiremur. Neque tamen id tam mirum videri debet, siquidem non cura legum aut salute civitatis motus, sed malitia atque invidia incitatus, Aeschines litem intenderat. Neque iniuria ipse Demosthenes hoc ei exprobrat[2]): „*ἀλλ᾽ οὐδ᾽ αἰσχύνει φθόνου δίκην εἰσάγων*“.

Atque hoc loco aptum esse videtur, breviter exponere, quid Aeschines de rebus Atheniensium senserit, quodque consilium ei in republica gerenda propositum fuerit, ac quid de universa Demosthenis administratione iudicavererit. Quibus de rebus, ut taceamus de atrocissima illa multorum suspicione, haec certe est eius sententia, pacem et amicitiam Atheniensibus cum Philippo et Alexandro gerendam fuisse, et, quod horum adversarius exstitisset, Demosthenem patriae male consuluisse. Verum eam ingenue non aperit, sed se ipsum talem semper fuisse simulat, ut nihil aliud quam utilitatem et gloriam civitatis spectaret, ratione amicitiae aut inimicitiae Philippi et Alexandri non habita. Demosthenem vero fingit eum, qui nihil unquam, quod honestum sit, sed turpissima quaeque persequutus sit, qui non, quid civitati, sed quid sibi ipsi prodesset, quaesiverit. Itaque eum modo servientem Philippo, modo eidem adversantem fecit, prout ratio propriae utilitatis postulare videbatur. Illam quidem dissimulationem nos valde mirari aequum esse, Schaeferus cen-

1) Qua de re nuper praeclare disputavit Max. Hoffmannus in: Ztschr. f. d. Gyslwsn. 1866, pag. 746—768. — 2) § 121.

suit[1]), sed, ut nobis videtur, minus recte, siquidem necessitate quadam coactus ad eam confugisse Aeschines putandus est. Nam, quum nunquam antea id, quod in republica gerenda sibi animo proposuerat, aperte indicasset, neque unquam is, qui totus deditus esset Macedonum regibus, haberi voluisset, si tum confessus esset, iudicum animi sine dubio offensi et prorsus abalienati essent. Quid igitur relinquebatur, nisi, ut, quas partes semper egisset, easdem in hac causa sustineret?

Matthaeius dicit in libello academico de Aeschine oratore[2]): »Ut iis, quae ab oratore dicuntur, auditor fidem habeat, tribus modis efficitur. Etenim auditor rem veram putat, vel argumentis motus, vel quia aliquam de moribus dicentis opinionem habet, vel quia aliquo modo est affectus«. Quod ad argumenta attinet, in quibus summa vis eius, quam nunc tractamus, partis est, Aeschines creber est in iis, quae rhetores „ἀτέχνους πίστεις“ vocant. Sunt autem, ut Ciceronis verbis[3]) utar, ea, quae non excogitantur ab oratore, sed in re posita sunt, quae non ab oratore pariuntur, sed ad oratorem a causa atque a reis deferuntur, ut tabulae, testimonia, pacta, conventa, leges, decreta, reliqua. Affert enim ille multa et varia decreta, iuraiuranda, oracula, publicas exsecrationes. Hoc inprimis argumentorum genus adhiberi, ut in narratione rerum gestarum, par erat. Sed, quum multarum rerum aliam naturam, atque hic descriptam legimus, fuisse vel manifestum vel verisimile sit, Aeschinem alia siluisse, alia detorsisse, alia prorsus finxisse, fortasse etiam ad nonnullas tabulas, quas affert, tamquam machinas admovisse, censere licebit. Quae fraudes ut laterent, futurum esse, solis de iis iudicibus hic sperare debuit, qui res ipsas non viderant[4]). Verum propter alterum genus eorum, quorum aetas in media rerum omnium tempora inciderat, non satis erat, in hac ratione acquiescere, sed alia subsidia adiumentaque quaerere opus erat.

---

1) III, 230.

2) Pars II, sect. IV: de argumentis.

3) De orat. II, 27, 116. Cf. Volkm. p. 67—69.

4) οἱ νεώτεροι τῶν πεπραγμένων. Cf. Dem. de cor. § 50.

Altera ratio ad fidem orationis faciendam sunt mores dicentis, de quibus Matthaeius dicit [1]): »Permagnum enim oratoris interest, aliquam in auditoribus de se opinionem aut excitare aut conceptam confirmare«. Quum autem Aeschines, quo animo quibusque moribus esset aut certe esse videretur, iam satis significasset, operam dare opus erat, ut conceptam opinionem confirmaret. Quod quidem omnino facit toto dicendi genere, quo alius esse videtur, ac qualem adversarium fingit. Quod quum in omnis contentionis natura positum sit, negligendum est et hoc tantum quaerendum, num in certis quibusdam locis suos mores planius expresserit. Sed paucissimi eiusmodi loci inveniuntur. Primus est in § 61 sub fin., ubi modeste atque urbane cum iudicibus agens speciem modesti atque urbani hominis prae se fert. Secundus est in § 118 med., ubi summa iracundia inflammatum se esse dicit, quum in Amphictyonum concilio crimina ab Amphissaeo illo in Athenas iacta audivisset· quo, patriae se amantissimum esse, significare vult. Tertius porro in § 127, ubi studium veritatis pluris se aestimare, quam hominum gratiam, simulat. Denique quartus in § 128, ubi, optans, ne qua civitas Graecorum eandem calamitatem ac Thebani accipiat, humanum ac misericordem animum ostentat. Cui adde locum in § 78 init., ubi negat, se adversario domesticam eius calamitatem crimini dare.

Maxime vero oratio in concitandis permovendisque mentibus versatur: modo inflammat iram, modo incendit odium, modo incutit timorem, modo affert fastidium, modo adducit ad misericordiam. Describit Aeschines adversarium patriae proditorem (cf. § 66 sqq., § 91 sqq., § 103 sqq., § 113—114, § 143), hominem tam venalem, ut etiam aliis largitione corruptis mercedem invideat (cf. § 81), eum, qui rursus ipse, quod voluerit, corrumpendo alios consequi studeat (cf. § 62), hominem impium in deos et liberos (cf. § 66—67, § 106, § 130—131; § 77), perfidum in amicos (cf. § 81), verbo quidem fortissimum, sed re maxime timidum et ignavum (cf. § 81, § 148—151, § 159—161), porro

1) Pars II, sect. V.

arrogantissimum et insolentissimum (cf. § 71, § 145—146, § 149—151), mendacissimum (cf. § 99) et aucipem syllabarum (cf. § 83), eum, qui res turpes speciosis verbis tegat (cf. 92—93), abiectum adulatorem (cf. 76—77, § 162 fin.), eum denique, cuius scelera ac flagitia plurima maximaque sint eademque tam nota, ut nemo iam miretur (cf. § 144). Haec et alia probra ac convicia in adversarium congerit, plerumque ad iudices verba faciens, interdum in illum ipsum invehens, modo vehementissima gravissimaque oratione eum lacerans, interdum autem sale et dicacitate perstringens. Nec semel plurimorum criminum probrorumque mentionem facit, sed repetens atque urgens, ita ut summa vi iudicibus pessimam de illo opinionem inculcare velle videatur. Nonne ex his non modo eos, qui aetate inferiores erant, magnitudine et audacia calumniae adduci, ut veras res accusare oratorem suspicarentur, sed etiam superiores, qui rebus ipsis interfuerant, ut dubitarent, num recte de moribus et factis Demosthenis sentirent, par erat? Nonne haec ratio ad eorum odium atque iram concitandam bene instituta erat? Quid, quod iudicum animis proponit praeconem in theatro renuntiantem, coronari Demosthenem, propinquos autem in pugna apud Chaeroneam interfectorum omnesque Graecos, qui liberaliter educati sint, aegre ferentes, idque eo magis, quum recordentur, olim eodem die et loco moris esse, ut adolescentes, quorum patres bello occiderant, toto gravis armaturae apparatu publice instruerentur et ad honorem inter primos sedendi vocarentur? (cf. § 158—154). Quid, quod iudices deprecatur, ne Thebanos urbe receptos calamitatis eorum commonefaciant coronando Demosthene, cuius culpa ea inciderit, et, ut eius magnitudinem atrocitatemque maxime sentiant maximeque ea afficiantur, non modo enumerat, sed oculis tamquam subiicit, quaecunque foeda ac turpia in expugnatam urbem cadere solent? Nonne iudices, qua mollitia animi Athenienses erant, maxima misericordia horum omnium afflictorum commoveri eoque maiore iracundia contra funesti illius belli auctorem incendi, necesse erat? (cf. § 156—157). Eadem mente, ut iram iudicum contra Aeschinem augeat, Demosthenes in oratione, quam de falsa legatione habuit,

ad misericordiam eos inducere studet, quum verbis expingit, in quanta rerum miseria Phocenses versari ipse, quum Delphos iter faceret, viderit [1]). — Ut autem timeant ac reformident illi Demosthenem, fingit Aeschines, eum malum quendam genium habere malaque fortuna uti, in quam omnes, qui commercium cum eo habeant, deducantur (cf. § 157)· inde eum esse pestem ac perniciem civitatis et universae Graeciae (vid. § 131, § 134, § 136). — Ac ne fastidium hominis desit, quaedam ab hoc quondam dicta profert, quibus iudices intelligant, ineptum, rusticum, monstrosum, denique Atticae urbanitatis expertem oratorem eum esse (vid. § 72). Quod probrum nobis non leve esse videtur. Quis enim nescit, Atheniensibus valde eruditas ac teretes aures fuisse? Nihil magis erat ad abalienandos eorum animos, quam parum Attice loqui [2]). Quamquam infra e contrario Aeschines dicit, bonum oratorem Demosthenem esse [3]). Sed eiusmodi inter se repugnantia apud omnes fere oratores inveniuntur et documento sunt, quanta malitia id genus hominum uti solitum sit, quamque multa crimina ac probra ad praesentem tantum vim ita composita fuerint, ut eorum coacervatione paulatim firma quaedam ac constans affectio animorum efficeretur.

Quum autem constet, omne genus salis ac facetiarum in oratione nimium quantum valere, nonnulla ridicula et salsa Aeschines vehementiae et gravitati adspersit. Nam ipsa hilaritas, quia natura suave quiddam habet, nen modo benevolentiam conciliat ei, per quem excitata est, eumque politum, eruditum, urbanum hominem esse significat, sed etiam ad alterum in contemtionem et odium audientium adducendum saepe magis valet, quam summa severitas ac tristitia. Nec tamen crebriora ille ridicula misit, id quod haud imprudenter fecit. Quum enim, Demosthenem singulari quadam improbitate ac nequitia esse, demonstrare vellet, multo magis decuit, tristi ac severo dicendi genere uti, quam risum movere. Et recte Caesar, apud Ciceronem [4]) de risu et de ridiculo verba faciens, haec iudicat: »Nam

1) § 65. — 2) Cf. Cic. orat. c. 8. — 3) § 173–174.
4) De orat. II, 58, 237.

nec insignis improbitas et scelere iuncta nec rursus miseria insignis agitata ridetur. Facinorosos maiore quadam vi quam ridiculi vulnerari volunt«. Maxime orator inversione verborum, quum contraria dicuntur ac sentias [1]), usus est, idque in quatuor locis, quorum primum legimus in § 73: „ὁ γὰρ μισαλέξανδρος καὶ μισοφίλιππος“, secundum in § 84: „ναὶ, ἀλλὰ χαλκοῖς καὶ ἀδαμαντίνοις τείχεσιν“, ubi additum est „ὡς αὐτός φησι“, tertium in § 92: „ἀλλ' ὁ μισοτύραννος Δημοσθένης“, ubi iterum additum est „ὡς αὐτὸς προςποιεῖται“, quartum in § 100: „πάνυ γὰρ ἔδει δεηθῆναι“. Festiva vero et perfaceta est ratio, qua in §§ 159—160 narrat, Demosthenem secundum illam cladem timidissimum summoque pavore occupatum, Philippo autem mortuo, quum omne periculum sublatum esse opinaretur, gloriosum fuisse ac de Alexandro ita dixisse, ut hic contemtus abiectusque homo, ipse autem fortissimus esse videretur.

Praeterea digressionibus et sententiis ingeniose intextis Aeschines non modo orationi splendorem quendam attulit et vim ac nervos addidit, sed etiam fidem totius narrationis auxit. In praeclarissimis pulcherrimisque huius orationis locis ille est, quem in §§ 132—134 legimus, ubi, quae tunc erat aetas, cum pristinis temporibus comparatur, et verissima imago utrorumque paucis quidem, sed significantibus, tamquam lineamentis exprimitur. Ostendit enim orator, quanta potentia et auctoritate olim rex Persarum et aliae Graeciae civitates et ipsae Athenae floruerint, quam autem afflictis ac perditis rebus tunc fuerint hae omnes. Quae res quum ipsa per se ad animos Atheniensium, quos scimus gloriae atque imperii semper appetentissimos fuisse, commovendos accomodata esset, tum ille tantam sententiarum gravitatem ac maiestatem verborum assumsit, ut vel legentes nos non modo summa delectatione orationis, sed etiam, quod ad res attinet, sensu quodam doloris perfundamur. Quid vero iudices ipsum oratorem audientes? Quos quanto magis affectos esse putemus? Quid, quod commutatarum rerum culpam Demostheni attribuit atque in eius naturam gravissimos quosdam

1) Cf. Cic. de orat. II, 65 et 67, 269.

versus Hesiodi accomodat (§ 135), nonne haec optime comparata sunt ad iudicum animos iam aliquo dolore permotos eo maiore odio ac paene quodam horrore perniciosi hominis perfundendos? Ac, ne spatium iis detur ad se colligendos exque hac animi affectione expediendos, causam et originem foederis Thebani expositurus, illum cum iis hominibus comparat, quorum insignis quaedam improbitas Graecis in proverbio erat, et alias verborum contumelias iacit. Igitur in eo quoque artificium huius digressionis cernitur, quod non modo iniecta orationi, sed iis, quae sequuntur, connexa est.

Sententiae autem, quibus Aeschines expositionem rerum gestarum distinxit, partim narrationibus aut argumentis tamquam prooemii loco praecedunt, ut attentionem excitent et praeiudicatas opiniones removeant, qualis ea est, quam de accipiendis rationibus in § 59 legimus; partim in mediis illis aut extremis positae sunt, ut cum quadam gravitate aut vehementia orationi maiorem fidem et splendorem afferant. Quo ex genere maxime insignis ea est, quae forma enthymematis ex pugnantibus, quod vocant, in § 78 expressa est et probat, qualis quis sit in vita privata, talem esse etiam publice· quod genus permultum valere ad persuadendum, auctor est Cornificius [1]). Aliae duae, in mediis rebus positae, exstant in §§ 88 et 99. Ex iis praeterea, quae argumentum aut narrationem aliquam concludunt, maxime dignae sunt, quarum mentio fiat, ea, quae de tabulis publicis in § 75 dicta est, et illud epiphonema, quod in § 147 fin. legitur [2]). Quam vim habeant sententiae, recte explicat Cornificius, quum dicit [3]): »Quum ita (i. e. raro) interponentur, multum afferent ornamenti. Necesse est enim eam comprobet tacitus auditor, quum ad causam videat accomodari rem certam, ex vita et moribus sumtam«. Similiter iudicat Aristoteles. Adde, quod hic idem dicit, sententias patefacere, qua mente quibusque moribus orator sit. Si qua igitur bonam voluntatem exprimat, eandem indicare, eum, a quo enuntiata sit, bonum hominem esse videri [4]).

1) IV, 18, 26. 2) cf. Quinct. VIII, 5, 11 et Volkm. p. 254. 3) IV, 17, 25. 4) rhet. II, 21 sub fin. Volkm. l. c.

Ex utroque autem, dico et illam comprobationem et bonum de moribus dicentis opinionem, nascitur fides.

Postremum, ne iudices longitudine narrationis defatigati de attentione remitterent, Aeschines non modo singulas aetates et res accurate separavit et, quando ad quamque pervenerat, diligenter indicavit, sed etiam modo apertius modo tectius attentionem illorum renovavit atque acuit. Velut dicit § 61 fin.: »*λέξω δ' ὅθεν μάλιστα παρακολουθήσετε*«; § 64 init.: »*τὰ δὲ μετὰ ταῦτ' ἤδη μοι σφόδρα προσέχετε τὸν νοῦν*«; § 79 fin.: »*ταῦτ' ἤδη διαφερόντως ἄξιόν ἐστιν ἀκοῦσαι*«; § 94 fin.: »*ταῦτ' ἤδη ἄξιόν ἐστιν ἀκοῦσαι*«; § 103 init.: »*ὑπόλοιπον δέ μοι ἐστὶν εἰπεῖν, ὅτι* etc.«

Caput IX.

De tertia eiusdem loci parte.

Postquam orator demonstrare studuit, turpiter et cum maximo civitatis detrimento Demosthenem rempublicam gessisse, porro, ut nihil in convincendo Ctesiphonte desideretur, illius vitae ac naturae omnem speciem et quasi figuram excutit, si forte ex hac efficiatur, populari animo et benevolo erga civitatem eum esse. Est autem haec tertia pars eius capitis argumenmentationis, quod in persona ac rebus Demosthenis examinandis versatur, et pertinet a § 168 usque ad § 176. Hic Aeschines eas res ac virtutes enumerat, quas necesse sit eum habere, qui popularis homo esse velit· qui vero contrarias habeat, eum paucorum imperio amicum esse. Tum confirmare studet, re vera nihil illarum Demostheni esse, sed omnium contrarias. Ac primum quidem, quum liberi fere tales haberi soleant, quales parentes vel maiores sunt vel fuerunt — quae similitudo haud raro causa aut honestae aut turpis vitae esse videtur — fusius exponit, etiam ab avo Demosthenem populo esse inimicum· quum porro singulae gentes propria quadam indole ac moribus sint, ita ut non semper idem de barbaris, quod de Graecis aut Romanis, coniici debeat, eum a matre Scythen, barbarum esse

dicit [1]). Quo autem fastidio barbarae gentes a Graecis despectae sint, vix attinet dicere. Qua in re, ut oratio maiorem speciem veri haberet, callidissime Aeschines fecit, quod, patrem Demosthenis liberum fuisse, ingenue confitetur et, veritatis amorem simulans, nefas esse mentiri addit. Deinde Demosthenis studia ac vitae rationem perstringens quum multa et alia exprobrat, tum hoc, per longum tempus aliis eum orationes scriptitasse. In quo hominum genere (Graeci vocant *λογογράφους*) quum multi fraudulenti et nequam essent, qui minima mercede vel pessimam causam susciperent, mox factum est, ut nomen et res in infamiam venirent [2]). Quare saepius Aeschines, ut odium iudicum excitet, huius nominis convicio illum vexat. Porro exponit, eundem esse venalem, prodigum, libidinosum, ignavum hominem· quorum vitiorum quum in narratione rerum gestarum satis quidem, sed passim ac disperse mentionem fecisset, hoc loco, ut illius totum animi habitum plene exprimeret, omnia collecta in uno conspectu posuit.

Caput X.

De peroratione.

Haec quidem sunt, quae effudit Aeschines ad accusationem confirmandam. Quae reliqua sunt, efficiunt perorationem; cuius sane offendit prima specie nimia longitudo, sed recte eius initium in hoc loco, dico in § 177, constitui, infra demonstrabimus. Haec autem extrema oratio non minorem vim nec minus momenti ad obtinendam causam habet, quam principium et argumentatio. Nec debet orator opinari, si ceteras partes bene tractaverit, in hac negligentem esse sibi licere, sed contra eniti atque contendere, ut accurate eam instituat. Quis enim ignorat, omnes plerumque res ex fine et exitu aestimari? Quis est, quem fugiat, ea, quae quis praeclare exorsus ac persequutus sit, ab hominibus haud raro contemni ac sperni, si contrarium

1) cf. Quinct. V, 10, 24 sqq. 2) cf. schol. ad § 173 huius orationis.

habeant exitum? Deinde, ut in cursu ipso orationis declinationes ad concitandos eorum, qui audiunt, animos dantur, ita tam proprius concitandi locus in peroratione est, ut, in quacunque animi non aut impellantur aut reprimantur, prorsus sit nulla. Quantam autem vim apud antiquitatis homines motus animorum habuerit, et scripta rhetorum et ipsae orationes declarant. In hoc enim plurimum pollet et quasi regnat oratio. Argumentis ac rationibus assequimur, ut iudices nostram causam meliorem esse existiment, commovendis autem animis, ut etiam velint existimare· ex quo gignitur ipsa fides [1]). Quo in genere quamquam Demosthenes praeter omnes excellit, quis neget, huic nihil nisi paulum cedere Aeschinem? Talis est eius oratio, ut iisdem sensibus, ad quos adducere velit iudices, ipse permoveri videatur, id quod caput oratoris est [2]). Itaque nos etiam eius orationes legentes interdum sic afficimur, ut nihil ficte, nihil simulate, omnia ad veritatem, dicta esse putemus. — Iam anquirentibus nobis, quae alia rhetores antiqui de peroratione tradant, alii ex quatuor, alii ex tribus, alii denique ex duabus partibus eam constare statuunt [3]). Quae harum partitio rectissime se habeat, quaestione omissa, hanc bipartitam amplectamur. Sunt autem duae partes amplificatio et enumeratio. Ac, quid illa sit, quum item non plane omnes inter se consentiant, nos de hac quoque re non disputemus, sed ea, quae fere a plerisque de verbi notione definiuntur, probemus. Est igitur amplificatio rem augere et altius tollere dicendo cum motu animorum [4]). Altera perorationis pars est, quam Romani enumerationem, Graeci »ἀνάμνησιν« vel »ἀνακεφαλαίωσιν« vocant. Haec est pressa earum rerum, quae in argumentatione tractatae sunt, repetitio· quae non talis esse debet, ut omnia vel minima repetantur, sed tantum graviora et maiora, deinde non iisdem fere verbis, sed mutata ac contracta.

Iam vero tentantibus nobis hanc perorationem in illas partes dividere, nonnulla occurrunt, quae neutri earum subiici

1) cf. Quinct. VI, 2, 5; Volkm. p. 134. 2) cf. Cic. de orat. II, 45, 189—190. 3) cf. Volkm. p. 127—128. 4) cf. Cic. part. orat. 8, 27; 15, 53.

posse videantur. Ex his sunt inprimis ea, quibus silentium suum Aeschines defendit[1], ut iudicum bonam opinionem, si quam de se excitaverit, tueatur ac confirmet, simulque providet, ne ii post Demosthenis criminatione moveantur. Quam perorandi rationem Aristoteles[2]: „τὸ πρὸς ἑαυτὸν κατασκευάσαι εὖ τὸν ἀκροατὴν καὶ τὸν ἐναντίον φαύλως" vocat et separatam quandam partem esse statuit. Sed, quum toti illi loco magna copia asperrime ac vehementissime contra Demosthenem dictorum intexta sit, vix licebit ita separare a ceteris, ut propria quaedam pars efficiatur, praesertim quum nonnullis aliis passim perorationis locis Aeschines, benevolo se et omnino congruente cum voluntatibus audientium animo esse, ostendere studeat. Quod autem ad separationem duarum partium attinet, ea non sic fieri potest, ut, ubi altera terminetur aut unde altera oriatur, constituas, sed enumeratio duobus locis amplificationi iniecta est. Neque vero haec quoque ad certam quandam normam in mentibus hominum impressam directa est, sed, quum ipsa ex pluribus seu partibus seu locis constet, hi deinceps inter se ita excipiunt, ut ad dicendum de quaque re animi affectio oratorem incitare videbatur. Id quod sane laudandum est. Quum enim maximum munus perorantis sit, non sedata ac placida oratione docere, sed eorum, qui audiunt, animos commovere ipsum commotum, nihil planius significare poterat, Aeschinem ita affectum esse ipsum, ut iudices affici vellet, quam, si maxime varias rei augendae rationes et maxime varios animi motus permiscebat. Nihil autem magis valet non modo ad audientium animos perturbandos, sed etiam ad fidem faciendam, quam, si ipse inflammatus et ardens ad dicendum accesseris[3]). Sed de omni vi ac partitione perorationis satis dictum videtur, nunc singula huius capita ordine consideremus.

Ac primum quidem Aeschines iudices edocet, immoderatam honorum largitionem, qua civitas utatur, reipublicae esse magno detrimento. Illos enim, si effuse atque indignis hominibus tribuantur, ab omnibus bonis contemni ac sperni, quoniam nihil

1) § 215 sqq. 2) rhet. III, 19. 3) cf. Cic. de orat. II, 45, 189—190.

amplius in iis insit, quod ad bene merendum de patria excitet. Quod ut magis intelligatur, mori, qui tum vigebat, auctoritatem maiorum opponit, quos, quum frequentissime contigerit, ut viros optime de republica meritos honoribus afficere possent, in his tribuendis adeo parcos fuisse, ostendit. Persequitur quum alia exempla, tum maxime, quo praemio illi, qui civitatem a triginta tyrannis liberaverant, decorati sint, ac comparat Ctesiphontis rogationem, quae si accipiatur, illorum praemium vanum atque irritum esse futurum. Hanc autem eo maiorem esse iniuriam atque impietatem, quo maius praemium Demostheni dari Ctesiphon velit. Ac profecto omnia paene huius loci, qui a § 177 usque ad § 191 pertinet, ad veritatem dicta sunt. Athenienses, qui illa aetate erant, quum raro magnae virtutes ac merita civium in rempublicam elucerent, in amplissimis praemiis honoribusque tribuendis nimis prodigos fuisse, permulta exempla declarant. Ex quibus ut nonnulla maxime memorabilia afferamus, Charidemo, illi mercenariorum duci, tamquam amico ac de republica Atheniensium bene merito, coronae aureae aliique honores decreti sunt, quum is, ad suam utilitatem omnia referens, modo perfidum se praebuisset, modo vel hostis illis exstitisset [1]). Quid, quod etiam percussores amplissimis honoribus digni habiti sunt? Pytho enim et Heraclides, fratres, qui Cotyn, Thraciae regem, ad patrem ulciscendum interfecerant, quum Athenas fugissent, quod eo facinore optime de republica meriti essent, civitate et coronis aureis decorati sunt [2]). Denique paucis annis ante quam haec causa acta est, Demadi, venali isti ac perdito homini, quum civitati pacem cum Alexandro reconciliasset, statua in foro posita erat. Haec quidem ratio, si quaerimus, num ad persuadendum accomodata fuerit, Demostheni respondere licebat, et re vera respondet, sua merita non ad maiorum, sed ad aequalium facta esse revocanda. Praeterea mirum non erat, cum moribus omnem honorum rationem paulatim commutatam esse, id quod etiam Demosthenes in oratione contra Leptinem disserit [3]). Itaque dixerit aliquis, illam nimis inveteratam iam fuisse, quam,

1) cf. Demosth. in Aristocrat. § 144—178. 2) ibid. § 119. 3) § 112—115.

ut iudices Aeschinis reprehensione moveri potuissent. Attamen, qui integre audiret incorrupteque res consideraret, eum par erat tam illustri comparatione adduci, ut, malum morem in civitatem invasisse, intelligeret, eoque magis moveri, quum exempla ex superiorum temporum memoria depromta rerum praeclare et prospere gestarum esse, Demosthenis vero consilia cladem calamitatemque postremum reipublicae attulisse videret. Quare non ita vana ac futilis haec ratio nobis fuisse videtur. Atque eadem similiter utitur Demosthenes in oratione, quam contra Aristocratem conscripsit, § 196—203, cuius loci summam hic comparare hand iniucundum aut ineptum sit. Ostendit enim, maiores, quamvis bene de republica ac re vera meritos viros nacti essent, maxime parcos in tribuendis publicis donis atque honoribus fuisse· quare tunc haec plurimi aestimata esse, nunc autem vilia et abiecta putari. Quod civitati accidisse avaritia et improbitate oratorum, qui omnia munera venditarent et primo cuique concederent.

In iis, quae sequuntur (§ 191—196), Aeschines, postquam breviter significavit, ad civitatis salutem ac libertatem tuendam in actionibus legum violatarum tantum positum esse, queritur, tam parvam vim tum iis tribui, quaeque malae consuetudines in iis diiudicandis vigeant, enumerat atque contra iterum proponit auctoritatem maiorum, quos severos et acres iudices earum fuisse demonstrat. Deinde, qua ratione modum huius causarum generis aliter constitui, et ad propositam causam se referens, quemadmodum Ctesiphontem ab iudicibus audiri velit, exponit (§ 197—200), ac porro (§ 201—202 et § 205—206) ab iis contendit, si ille Demosthenem sibi advocet, ut potissimum eum reiiciant, sin minus, ut postulent, ut pari ratione defendat, qua ipse accusaverit. Hac occasione data, summas singulorum argumentationis capitum repetit et, quo ordine de his verba fecerit, in memoriam iudicum redigit (§ 203—204).

Sed, ut nos referamus ad illud ex ipsis actionibus violatarum legum repetitum ac, num ad iudicum animos commovendos comparatum fuerit, reputemus, valde mirantibus nobis Aeschines ipse queritur, perridiculam esse totam rationem, qua illae in

iudiciis tractentur. Iudices vi ac magnitudine criminis adeo non moveri, ut ne attendant quidem animos, quum accusationis libellus recitetur, eum autem, qui surrexerit ad accusandum, ut se defendat, cogi, et contra reum accusatoris partes sibi sumere aut, si quando rem ipsam attingat, non probare, ea, quae rogaverit, non esse legibus repugnantia, sed, iam antea alios, qui similia rogaverint, iudicum sententiis absolutos esse, excusare. Ex his, etiamsi Aeschines rem aliquantum exaggeraverit, hoc tamen elucet — id quod aliis quoque exemplis et testimoniis confirmatur — in actionibus violatarum legum illud, quod in controversia iuris positum erat, non ita religiose curare iudices solitos esse, et ob hanc ipsam causam huic rationi minimum tribuendum esse forsitan putes. Sed accuratius rem perpendenti similis huius loci ratio esse videbitur atque illius, quem modo ostendimus. Quum enim orator expressam et illustrem imaginem perturbationis, qua laboret id genus iudiciorum, describat ac superiorum temporum severitatem conferat, Athenienses turpitudinem moris, in quem fortasse imprudentes inciderant, non intellexisse, putari non potest. Quis eos tantae stultitiae accuset, ut non meliora certe viderint ac probaverint? Et quamvis magna esset vis malae consuetudinis, ita ut propensiores essent ad sequendum deteriora, prorsus non commoveri eorum animi vix poterant. Idem iam queritur Aeschines in oratione, quam contra Timarchum habuit [1]): .. „*Καὶ πάντων ἀδικώτατον ἔθος εἰς τοὺς ἀγῶνας παραδέχεσθε· ἐᾶτε γὰρ τοὺς ἀπολογουμένους ἀντικατηγορεῖν τῶν κατηγορούντων* etc.« et paulo supra [2]): „*ὥσθ᾽ ὁ μὲν φεύγων κατηγόρει, ὁ δὲ κατηγορῶν ἐκρίνετο, οἱ δὲ δικασταί, ὧν μὲν ἦσαν δικασταί, ἐπελάθοντο, ὧν δ᾽ οὐκ ἦσαν, περὶ τούτων ἤκουον*“.

Scite porro comparatio Aristophontis et Cephali inserta est (§ 194). Nam ille non modo, quum reipublicae praeesset, persaepe offendisse, sed etiam vitam privatam non ita puram et integram vixisse et ex utraque causa haud iucundam sui memoriam

---

1) § 178. 2) § 175. Ceterum vide totum locum a § 173—179.

reliquisse videtur [1]). Cephalus autem et de republica optime meritus erat et summa probitate ac vitae integritate floruerat [2]). Etiam aptius ad persuadendum Aeschines adiunxit alterum exemplum, quod de Thrasybuli damnatione est, cuius de republica magna merita illius aequalibus in recenti quadam memoria fuisse, ex multis multorum oratorum locis cognoscere licet. Hoc enim graviter confirmat, antea non modo adversarios aut inimicos, sed etiam amicos litem intendisse, si quis, quod contra leges esset, rogavisset, et iudices neque viri dignitate neque beneficiis in rempublicam neque ulla alia re, ut eum absolverent, adduci potuisse.

Iam vero, quod Aeschines iudices sollicitat, ne Ctesiphonti, ut Demosthenem adsciscat patronum, permittant, sed, ut solum illum se defendere iubeant, summae iniquitatis atque invidiae esse videtur· quare non ita ineptum sit, suspicari, gravissimo sensu offensionis aut molestiae illos motos esse. Sed, si rem accuratius quaesiveris aliorumque Atticorum oratorum orationes comparaveris, hoc minime abhoruisse a consuetudine iudiciorum invenies. Quamquam enim inter se litigantihus concessum erat, ut advocatos et patronos ad iudicium secum deducerent, in unaquaque tamen causa, utrum his verba facere liceret, necne, ex arbitrio iudicum pendebat. Id quod multi loci oratorum declarant [3]). Itaque non ita mirum esse videtur, quod orator iudices repellere studet, ne adversarii patronos admittant. Atque eadem mente dicta sunt, quae legimus apud Demosthenem in oratione, quam contra Timocratem conscripsit [4]). Mirari se, ait, si Timocrates impudentiam suscepturus sit Androtionem advocandi, hic vero surgendi atque dicendi.

Sequitur brevis enumeratio summae rerum, quae in argumentatione tractatae erant. Qua repetitione non tam illud Aeschines spectat, ut res ipsas in iudicum memoriam redigat, quam, ut ordinis, quo singula accusationis capita deinceps explicaverat, bene memores illi sint; idque eo magis, quum alium

1) cf. Schaefer. I, p. 159—164. 2) cf. Schaefer. I, p. 127—128. 3) Qua de re vide, quae Schaeferus exposuit, I, 311, cum testimoniis, quae affert. 4) § 158 - 159.

ordinem in libello, alium in oratione ipsa sequutus esset. Hoc se velle, hoc se in animo habere, ipse plane significat, quum dicit (§ 202 fin. et § 203 init.): „ἐγὼ δὲ πῶς κατηγόρηκα; ἵνα καὶ ὑπομνήσω ὑμᾶς· οὔτε τὸν ἴδιον βίον τὸν Δημοσθένους πρότερον διεξῆλθον, οὔτε τῶν δημοσίων ἀδικημάτων οὐδενὸς πρότερον ἐμνήσθην, ... ἢ πάντων γ᾽ ἂν εἴην ἀπορώτατος“ etc. et porro § 205: „οὕτω δὴ καὶ τὸν Δημοσθένην ἀξιώσατ᾽ ἀπολογεῖσθαι“ etc.

Neque vero magis in eo iudices offendisse arbitrari debemus, quod Aeschines eos etiam atque etiam monet, ne Demosthenem, si tamen velint audire, alio rerum ordine, ac quo ipse in oratione usus sit, se defendere sinant. Nam haec erat ratio non inaudita, sed plane in more usuque Atticorum iudiciorum posita. Qua de re conferre licet locum, qui in Demosthenis oratione contra Aristocratem est[1]), ubi ille, tribus locis, quos confirmaturus sit, propositis, iudicum arbitrio permittit, quo ordine se de singulis dicere velint. Quamquam hic paulo aliter res se habet, quum Demosthenes, ut speciem artificiosius elaboratae orationis a se removeat, de se ipse iudicibus potestatem faciat. Sed alii loci testantur, eum, qui orabat, etiam de adversarii oratione ut quaedam praescriberent, cum iudicibus agere, haud inusitatum fuisse; velut duo, qui leguntur in Demosthenis[2]) oratione adversus Boeotum „ περὶ προικὸς μητρῴας“. Unus est in §§ 45 et 47: „ὑμεῖς δ᾽ ὦ ἄνδρες δικασταὶ, μάλιστα μὲν, ὥσπερ αὐτοὶ οὐκ ἂν ἀξιώσαιτε κακῶς ἀκούειν ὑπὸ τῶν ὑμετέρων παίδων, οὕτω μηδὲ τούτῳ ἐπιτρέπετε περὶ τοῦ πατρὸς βλασφημεῖν .... μηδαμῶς, ὦ ἄνδρες δικασταὶ, ἀλλὰ μάλιστα μὲν κωλύετ᾽ αὐτὸν ταῦτα ποιεῖν“ ...., alter in § 54: „ὑμεῖς οὖν ἐάν τι τοιοῦτον τεχνάζηται, μὴ ἐπιτρέπετε αὐτῷ, ἀλλ᾽ ἐξελέγχετε, καὶ .... ἕκαστος .... ἀξιούτω τοῦτον ἀποδεικνύναι σαφῶς ὑπὲρ ὧν ἂν λέγῃ ....“. Praeterea compara locum supra iam allatum in Aeschinis oratione contra Timarchum[3]), ubi ille iudices adhortatur, ne patiantur, Demosthenem quidquam proferre, quod

---

1) § 18—19. — 2) Incertum quidem est, num hic auctor sit. — 3) § 176.

ad rem et causam ipsam non pertineat. Ceterum haec oratorum ratio cum adversariis contendendi, a nostra consuetudine prorsus diversa, in omni natura iudiciorum antiquitatis posita erat. Elucet enim ex plurimis antiquorum scriptorum, inprimis oratorum, locis, iudices dicentem non plane tacitos et quietos audire solitos esse, sed crebro clamore et plausu interpellare, probantes, si quid, quod adprobatione maxime dignum esse videretur, dictum erat, improbantes, si quid, in quo multum offenderetur [1]). Quae quum ita sint, cum Schaefero consentire non possumus, qui molestum et odiosum esse iudicat [2]), Aeschinem adversario, cuius famam eversurus sit, defensionem praecidere aut, quibus de rebus et quo ordine hic se defendat, praescribere. Quum igitur haec orator cum iudicibus agebat, non modo nullum periculum erat, ne iniquus aut invidus esse videretur, sed etiam, si ex sententia succederet, magni commodi spes, quum Demosthenes eo ordine rerum locorumque uti cogeretur, qui ad fidem faciendam minus aptus esset. Verum, si non succedebat, ut iudicibus persuaderet, hunc tamen sua sponte postulationi illi concedere oportebat, aut fieri poterat, ut ipse, suam causam inferiorem esse, haud ignorare ideoque arte quaesitam et elaboratam dispositionem instituisse videretur.

His Aeschines locum adnectit, qui maxime insignis est et incredibili quadam vi et faceta suavitate dicendi ac totus compositus ad animi motus vel excitandos vel reprimendos. Fingit enim, quo pacto Demosthenes se gesturus sit, si dispositionem a se propositam sequi cogatur. Facit eum (§ 207—208) maledicta in coronam coniicientem civiumque discordiam ex tam longo tempore sedatam refricantem, cui turpitudini opponit honestatem et liberalitatem eorum, qui, triginta tyrannis expulsis, omnium factorum dictorumque veniam et oblivionem lege sanxerant· quae et alia, quum iudices docet, ut respondeant, mirifica cum arte ac calliditate eos inducit dicentes, quo facilius, si tamquam sua ipsi verba audiant, sic afficiantur in Demosthenem, ut eos affectos fingat. Quum autem haec ad iram eorum excitandam dicta sint,

1) Cf. Dem. de cor. § 10. — 2) III, 230.

ea, quae sequuntur (§ 209), maxime ad reprimendam misericordiam, si ad lamentationem et lacrimas Demosthenes confugiturus sit, composita sunt; qua in re orator eandem rationem sequutus est, ut, quae ipse ad iudices a misericordia revocandos excogitavisset, eos contra illum loquentes faceret. Tum eodem consilio rem persequens, ipse ostendit (§ 210—211), non fortunas, non salutem, non caput Demosthenis in hac causa agi, sed tantummodo coronam auream, quam hic, quum civitati auctor tanti luctus fuerit, non debeat accipere. Denique probra ac convicia obiectans et dissimulantiae aculeos addens (§ 212), in maximum odium ac contemtionem iudicum eum adducere studet. Neque vero maiore cumulo vehementiam huius loci augere poterat, quam, quum Ctesiphontem et Demosthenem inter se ipsos condemnantes fingebat et enthymema ex pugnantibus, quod vocant, adiungebat, quo nihil magis esset ad iudicum animos perfringendos (§ 213 – 214).

Ea, quae a § 215 — § 227 leguntur, ab oratore praecipue dicta sunt, ut criminationes quasdam, quibus Demosthenem in se usurum esse coniicit, repellat. Simul autem his id spectare videtur, ut benevolentiam iudicum, si quam sibi comparaverit, confirmet. Exponit enim, quomodo in vita privata ac publice se gerat. Sed, ut singula persequamur, Demosthenem sibi exprobraturum esse ait, quod summam eius administrationis reipublicae reprehendat, verum, quum singulae res gerebantur, non prohibuerit, quominus fierent, aut, quum modo gestae erant, non accusaverit, negaturumque esse, ex ulla alia causa, nisi ut Alexandro blandiretur, litem se intendisse. Ad haec respondet, ea se temperantia atque omnis vitae moderatione esse, ut turpi ratione victum quaerere non opus sit, porro popularem hominem se esse et communi saluti consulentem et consiliis sceleribusque Demosthenis in concione saepius occurrisse; quamquam eum in ius vocare metu sui periculi se deterritum esse. Sed postremum, quum ille ad tantam audaciam impudentiamque processisset, ut vel praemio scelerum affici vellet, tum se accusationem suscepisse, nulla alia re, nisi summo patriae amore ductum, nimirum ut provideret, ne civitas Graecis ridicula esse videretur. Ver-

satur igitur hic oratio in eo, quod „ἦθος“ vocant; neque vero nonnullis aliis locis huius extremae partis orator praetermisit, quin sententias admisceret, quae ad benevolentiam iudicum in se tenendam atque augendam accomodatae essent. Ita dicit in § 252, aegre ac gravate se calamitatum, quibus civitas afflicta sit, recordari, et in § 191 praedicat, patrem suum omnium civitatis molestiarum participem fuisse easque sibi saepe persequutum esse. Sed, ut ad propositum locum nos referamus, plane ex natura ac lege perorationis, quae oratorem, praesertim si accuset, in mitibus affectibus latius vagari, vetat, Aeschines lene et moderatum dicendi genus cum vehementi ita permiscuit, ut multo minus se contra adversarii criminationes defendere, quam ipse hic quoque illum asperrimis conviciis obruere voluisse videatur.

Criminationibus adversarii provisis repulsisque, mirum fore, exponit, si iudices accusationem reprobaturi sint (§ 230)[1]. Nam primum nihil unquam rogatum esse, quod magis legibus repugnet; deinde eum, qui rogaverit, propter turpem vitam poena dignum esse; tum civitati futurum esse dedecori, si Demosthenes coronam accipiat· cuius rationis vim ut augeat, exquisita calliditate Demosthenem cum Thersite illo Homerico comparat (§ 231). Quo quum nihil deformius, nihil maledicentius, nihil nequius a Graecis hominibus cogitaretur, consentaneum erat, vel nolentes iudicum animos eius horrore perfundi, qui illius similis esse fingeretur. — Porro edocet iudices, si absolvant Ctesiphontem, professuros esse, civitatem a fortuna, a qua tamen semper se adiuvari ipsa glorietur, derelictam esse, a Demosthene vero beneficia accepisse· praeterea absurdum esse, quum alios, pretio corruptos, si convicti sint, condemnare soleant, eum, quem mercede conductum rempublicam administrasse omnes sciant, corona decorare (§ 232 - 233). Atque haec quidem leviter attingit, paulo fusius versatur in iis, quae sequuntur (§ 234—235). Ibi ostendit, Athenienses, si honoribus exornent homines indignos eosque, qui contra leges ac per dolum perficiant, sibi ipsos

1) Quae in §§ 228 et 229 leguntur, omittimus, quia haec in iudicio non esse dicta apparet.

libertatem arbitriumque, quodcunque placuerit, faciundi praecisuros ac totos in ditione oratorum futuros esse. Nam unumquemque privatum hominem in libera civitate tamquam regem esse legibus et iure suffragii. Quae si quis aliarum rerum causa prodat, eum ipsum suum regnum prodidisse. Huius sententiae simili utitur Demosthenes in oratione contra Aristocratem, in loco continenti cum illo, quem supra attulimus[1]). Cuius summam hic indicare placet. Queritur orator, honorum vim et auctoritatem valde imminutam esse. Cuius rei causam esse quendam iudicum languorem, qui a nullo amplius poenas expetere velint; contra laudandam esse maiorum in iudicando severitatem, qua contigerit, ut tunc summo flore civitas uteretur. Tunc populum fuisse eorum, qui ad rempublicam accederent, dominun, nunc esse eorundem ministrum. Haec igitur ratio non ita levis fuisse, sed ad timorem iniiciendum apte composita videtur, id quod etiam vetus enarrator ad hunc locum his verbis adnotat: „*ὁ δεύτερος τόπος τῶν ἐπιλόγων εἴργασται αὐτῷ ἐκφοβῶν τοὺς δικαστὰς ἀσυμφόρῳ διττῷ*“. Illud enim *δεύτερον ἀσύμφορον* est, quod Aeschines de iureiurando iudices commonet, quod si violaverint, conscientia animi eos excruciatum iri, denuntiat· neque vero ullam utilitatem peierantibus fore, quod, si quis alicui periurio gratificatus sit, quoniam suffragia occulte ferantur, lateat. Tum Atheniensium incuriam castigat, quod, quae firmissima sint fundamenta libertatis, perversis et audacibus oratoribus evertenda dent, qui, nisi iudiciis inferiores sint, imperium populare tollere studeant, eiusque rei insigne exemplum affert imperium triginta tyrannorum, quorum maximam iniuriam ac crudelitatem ad iudicum animos magis permovendos verbis depingit.

Quum ex iis omnibus, quae usque ad hunc locum persequuti sumus, tum maxime ex iis, quae reliqua sunt, elucet, Aeschinem ipsum summa animi perturbatione incitatum dixisse. Tantam vim, tantum impetum, tantum vehementissimorum gravissimorumque verborum flumen habet oratio, ut nobis quidem haud dubium esse videatur, quin suo ardore iudicum animos ille incenderit.

---

1) § 204—210; cf. p. 54.

Quam contendit elaboratque, ut adversarium, quo nihil ipsi est odiosius, prosternat! Quam multas ac varias rationes adhibet, quae praesidia, ut causam obtineat, conquirit! Quam celeriter singulos locos modo arripit, modo rursus deponit, quam non raro alios, qui iam prolati erant, paulum mutatos repetit!

Sed, ut pergamus persequi singula, orator porro, quod Ctesiphon de Demosthenis meritis praedicaverit, summatim refutat (§ 236). Quod fossas hic bene foderit, non esse meritum· nam multo magis valere eiusdem culpam, qua operis necessitas effecta sit. Qua occasione data, novum scelus, quod is evertendis sepulcrorum monumentis admiserit, breviter quidem, sed acerbissime, perstringit. Quod autem Ctesiphon dicat, probum atque honestum virum Demosthenem esse et civitatis utilitati assidue consulere, rebus ab hoc ipso gestis repugnare. Ad hanc rem confirmandam causas, ex quibus cum Thebanis foedus convenerit, repetit· quod non Demosthenis orationi, sed temporibus atque Atheniensium famae tribuendum esse ostendit (§ 237—240). Quod ut eo probabilius sit, exemplum affert regis Persarum, quem, quum in securitate viveret, Atheniensibus pecunias insolenter negasse, quum vero in periculo versaretur, ultro obtulisse (§ 238—239). Similiter evenisse Thebanis. Insuper vel culpam, quod res non successerit, in Demosthene esse, quum ex pecuniis a rege Persarum acceptis nihil largitus sit. Neque vero sine causa Aeschines ad Thebanorum foedus se revocat multumque operae dat, ut, nihil in ea re Demosthenem de republica bene meritum esse, probet. Nam illius confectio omnium rerum ab hoc publice gestarum sine dubio erat clarissima. Itaque etiam Spengelius, qui in plerisque ab Aeschine est, non potest, quin concedat [1]), etsi foedus effectum sit „*διὰ τὸν καιρὸν, διὰ τὸν φόβον περιστάντα αὐτούς* (scil. Thebanos), *διὰ τὴν ὑμετέραν δόξαν*“, sine Demosthenis tamen singulari industria haec omnia vana atque irrita futura fuisse, ergo etiam „*διὰ τὰς Δημοσθένους δημηγορίας*“ illud convenisse, et totam agendi rationem, quam

1) Pag. 72—73.

hic in ea re sequutus sit, unam rectam temporibusque congruentem fuisse.

Tum, ut statim ab initio abalienatis animis Demosthenem, si ad dicendum surgat, iudices excipiant, indecorum esse ait, hunc suas laudes celebrare (§ 241). Ac profecto, ut omnibus fere hominibus est, ita maxime antiquis molestum et odiosum erat, se ipsos laudantes audire· quare Demosthenes in defensione [1]) apte se excusat, si ad suas ipse laudes descendere cogatur. Quanta invidia autem ei hominum generi apud antiquos fuerit, ex eo quoque colligi potest, quod incerti auctoris exstat libellus, quo praecepta, quomodo quis sine audientium invidia se ipse laudare possit, traduntur, et exempla eorum, qui hac arte insignes fuerint, afferuntur. Inscriptus est „*περὶ τοῦ ἑαυτὸν ἀνεπιφθόνως ἐπαινέσαι*“ et in Plutarchi scriptorum numero vulgo reponitur. Eo aegrius autem iudices illum se ipsum laudantem ferre, necesse erat, si de rei molestia ante commoniti et incitati erant. Ctesiphontem vero ineptum esse, orator ostendit, si facultate dicendi se carere dicat, quoniam, quum non multo ante legatus ad Cleopatram consolandam a populo delectus esset, non recusaverit (§ 242).

Sequitur locus vehementissimus acerbissimusque (§ 244—245), in quo Aeschines proponit, Chabriam, Iphicratem, Timotheum ob res bello praeclare gestas tantis praemiis affectos esse, Demosthenem autem — figura „*παρ᾽ ὑπόνοιαν*“ usus, quae omnino maxime valet ad animos commovendos — ob nullam aliam causam corona decorari posse, nisi quod venalis atque ignavus sit. Simul edocet, iudices non modo se ipsos et eos, qui bello occisi sint, dedecoraturos, sed etiam, ut vivi abiecto animo sint, effecturos esse, quandoquidem ii, memoriam fortium virorum tantopere negligi, videant. Quae sententia iam antea in §§ 177 et 188 expressa erat, hic autem paulo latius explicata est. Haec quoque, quae sequuntur (§ 246), repetita sunt ex § 180 fin. Exponit orator, inprimis adolescentibus malum exemplum ad imitandum proponi, si Demosthenes coronam accipiat. In iis

1) § 4.

enim, quibus eorum mentes ad virtutem conformari possint, renuntiationes esse praemiorum publicorum; quae si in homines indignos conferantur, illos depravatum ac vinculum obedientiae et pietatis sublatum iri. Huic loco simillimus legitur in eiusdem oratione contra Timarchum [1]). Denique apud externos civitati rem propter Demosthenis mollitiam dedecori fore. Qualis hic sit, talem illam iudicatum iri (§ 247). Huius quoque sententiae summam in § 231 gravius acerbiusque expresserat.

Iam denuo de libertate civitatis timorem iniicere vult, quum explicat (§ 248—251), rem eo deductam esse, ut imperium reipublicae iam non penes populum, sed penes quosdam homines privatos esse videretur. In qua re describenda nihil acerbius, nihil, quod magis ad flectendas mentes sensumque pudoris excitandum valeret, dici poterat, quam quae in § 251 dicta legimus.

Tum, ut magnam in minoribus criminibus iudicandis severitatem iudicum ostendat, orator illam Leocratis causam similemque aliam affert et comparat, quanto magis Demosthenes, qui, quum sit omnium malorum auctor ignavissimumque hominem se praestiterit, corona decorari velit, poena dignus sit. Tanta autem vi tantaque vehementia iudicum animos perfringere contendit, ut haud facile quisquam sit, qui, quum verba „*οὐκ ἀποπέμψετε- τιμωρήσεσθε*“ legat, oratoris vocem magnam, contentam, summam iram summumque furorem anhelantem, non sibi videatur audire.

Rursus ad terrorem spectant, quae porro sequuntur in § 254. His enim Aeschines proponit, si absolvatur Ctesiphon accipiatque Demosthenes coronam, civitatem Amphictyonum concilio paene pacem violasse visum iri. Hanc quidem rationem, quae per se maximi momenti est, leviter tantum atque in transitu attigit, id quod prima specie eo magis nos mirari aequum est, quo uberius subtiliusque tot aliae rationes, quae multo leviores esse videntur, tractatae sunt. Quam ob causam non aperte denuntiat grave bellum Amphictyonum? Cur non in iudicum memoriam reducit miserrimam fortunam Phocensium aut Thebanorum? Cur non

1) § 185—187.

ante oculos ponit omnes formidines urbis expugnatae? Qua de re recte iudicasse nobis videtur Schaeferus, qui dicit [1]), vereri Aeschinem, quid sentiat, aperte eloqui. Nec sine gravi causa id fecit. Nam, ut rem explanemus, Athenienses, etsi necessitate coacti erant, omnia, quae Philippo et Alexandro de rebus Graeciae commutare et constituere libuerat, pati, tamen aegerrime ferebant. Quocirca magnopere providendum Aeschini erat, ne, quum terrorem iudicibus incutere studeret, iracundiam potius eorum incenderet, si audirent, civitatem etiam de suis rebus ad ipsius arbitrium decernendi iure privari. Ac tum fieri poterat, ut ad ius civitatis et libertatem tenendam acriore hi studio Ctesiphontem absolverent. Nec minus periculi Aeschini ipsi erat, ne suadere videretur, ut civitas se totam ad Macedonum nutum fingeret.

Tam multis tamque variis ad persuadendum rationibus adhibitis, finem dicendi orator facturus esse videtur, quum iudices adhortatur, ut suffragia ferentes communi utilitati serviant. Sed tamen in animum inducere non poterat, ut non denuo adversarium conviciis ac ludibriis insectaretur (§ 255—256) et ad extremum maxima vi contenderet, ut iudicum animos vehementer commoveret. Summa vero extremae orationis haec est, ut memoria virorum olim de republica optime meritorum, quorum plerique summa cum laude contra Persas pugnaverint, iudices prohiberi oporteat, quominus Demosthenem, qui amicus Persarum sit, corona afficiant (§ 257—259). Et magna cum gravitate ac magnificentia quadam orator hunc locum ita composuit, ut non simpliciter illos in memoriam iudicum redigeret, sed per figuram conformationis [2]) ab inferis excitaret fingeretque in suggesto consistentes et lamentantes, alium orantem et obsecrantem, ne Demosthenis verba pluris illi aestimarent, quam iusiurandum ac leges, alium indignantem et interrogantem, nonne puderet, Demosthenem, a Persis pecunia corruptum, corona decorare. Id si tamen fiat, magna cum audacia sententiae, quae summam animi commotionem declarat, ipse addit, vel sepulcra maiorum

1) III, 231, not. 1.

2) Quam Graeci ἠθοποιΐαν aut προσωποποιΐαν vocant. Cf. Kays. p. 310.

ingemitura esse. Postremum, ad ἦθος conversus, maxime decoram atque honestam orationis facit conclusionem. Nam, etsi in compellanda natura rebusque, quae sub sensus non cadunt [1]), etiamtum animo commotus esse videtur, haec non indignationis significatio censenda est. Quod tamen Matthaeio placet, quum dicat [2]): »et in eius condemnationem deos, deas, universam naturam appellat«. Sed nos hanc esse verborum vim existimamus, ut testentur illae res, bonam et iustam causam oratorem dixisse atque iure reipublicae subvenisse. Quam repente autem hic orationem mutavit! Quanta cum vi quantaque cum vehementia modo insanivit quasi et bacchatus est! Et quam modeste, quam summisse nunc dicit, nescire se, num bene et magnitudini rei congruenter peroraverit! Ac, quum porro praedicat, pro suis certe viribus se verba fecisse, prudentissime fecit, ut iterum tamquam reipublicae patronum, cui accusandi munus suscipiendum fuisset, se fingeret (§ 260). Ad extremum addit, iam iudicum esse, ex legibus atque e republica suffragia ferre. Simul autem his omnibus fiduciam quandam de felici eventu iudicii prae se fert· sin causa ceciderit, conscientiam servati officii simulat. Nobis vero legentibus multo sapientius atque ad persuadendum accomodatius hoc dicendi genere conclusisse videtur, quam si usque ad finem in concitandis animis permansisset. Demosthenes quidem illudit [3]) illi exclamationi, tamquam artificio histrionis, eumque omnino non ita male iudicasse, negari non potest, quandoquidem saepius Aeschines ex consuetudine eius artis, quam antea exercuerat, in nimis grave ac tragicum genus incidit [4]).

Caput XI.

De totius orationis dispositione disputatur.

Reliquum est, ut de dispositione totius orationis quaeramus. Quae enim de partibus eius singulis in transitu attigimus, nunc

1) Hanc figuram Graeci ἀποστροφήν, Romani exclamationem vocant. Cf. Cornif. IV, 15, 22, Volkm. p. 275, Kays. p. 289, Quinctil. IX, 2, 38.

2) Pars II. sect. VII: de peroratione.

3) De cor. § 127. — 4) Cf. Schafer I, 225.

rationibus confirmanda sunt. Narratione ea, quae est propria pars orationis, haec ideo caret, quia non tam de facto aliquo quaeritur, quam de interpretatione legum, quae omnibus notae sunt. Magna quidem orationis pars tamen in rebus narrandis versatur, nimirum pleraque eorum, quae a § 58 usque ad § 167 leguntur. Sed hae sunt narrationes variarum rerum, quae pro argumentis positae sunt atque ad materiam confirmationis pertinent.

Iam vero haec tota pars quam late pateat et a qua alia excipiatur, magna exsistit quaestio. Quae facile nostra quidem sententia solvitur, si ipsius oratoris verba, quae in § 203—204 scripta sunt, respicimus. Ibi enim hic enumerat summas rerum, quas in argumentatione tractaverat. Cum hoc loco deinceps sunt coniungenda, quae insequenti § 205 addita sunt. Dubitaverit quidem aliquis, an non ea, quae § 168—176 continentur, ad argumentationem referenda sint, quod ipse Aeschines post verba „*τὰ δὲ πλεῖστα περὶ τῶν δημοσίων ἀδικημάτων*“ in § 204 nihil addat, quod ad ea, quae in illis paragraphis dicta sunt, pertineat. Nam in iis non amplius de publicis Demosthenis sceleribus disserit, sed, eum propter genus, vitam, mores, minime popularem hominem esse, demonstrat. Ac nescio an ob hanc causam Spengelius totum locum ab argumentatione seiungat huiusque finem in § 167 ponat [1]). Sed nobis illa Aeschinis verba non ad vivum resecanda videntur. Quae enim is docet, adversario omnem indolem ac tamquam semina popularis animi deesse, nullam aliam vim habent, nisi ut, quae de rebus ab illo publice gestis dicta erant, probabiliora sint. Ad horum igitur firmamentum addita sunt. Indicant enim causas, ex quibus mirum non sit, Demosthenem tam male rempublicam administrasse. Quod igitur orator huius loci summam non enumeravit in iis, quae se confirmasse dicit, non obstare videtur, quominus eum confirmationi adnumeremus. Sed haud scio an etiam magis placeat haec rei explicatio. Quum enim Aeschines in § 204 dicat: „*μικρὰ μὲν περὶ τῶν ἰδίων εἶπον*“, quid est, quod impediat,

---

1) X. pag. 32.

quominus res in illo quoque loco expositas ad ea, quae verbis „*τῶν ἰδίων*“ expressa sunt, referamus? A quibus quum illarum natura non abhorreat, non offendere nos oportet, quod orator duos locos, alio medio disiunctos, uno eodemque nomine designavit ac comprehendit, praesertim quum illi multo minoris sint momenti, quam hic, in quo summa vis summumque rei pondus positum est. Neque vero vocabulum „*μικρά*“ huic sententiae repugnat, quoniam, quae in duobus locis de privatis rebus Demosthenis dicta sunt, si comparaveris cum eorum copia, quae de tota ratione reipublicae ab illo administratae leguntur, revera sunt perpauca. Quum porro paulo post (§ 205) Aeschines summam tertiae partis argumentationis verbis „*ὡς οὐδ' ἄξιός ἐστι τῆς δωρεᾶς*“ describat, non minus hunc locum, de quo quaeritur, quam duos alios, vim probandi, Demosthenem corona non esse dignum, habere, apparet [1]). Itaque etiam veteris enarratoris sententiam falsam esse, censemus, qui ad § 168 verba „*ἐντεῦθεν παρέκβασις*“ etc. adnotat. Nam non probandi, sed ornandi aut augendi causa, oratorem digredi, oportet, si quidem digressio alicuius rei tractatio est, quae cum causa ipsa non cohaeret, sed ad eius utilitatem pertinet [2]).

Iam vero, quid argumentationem sequatur, quaeritur. Spengelius quidem omnia, quae a § 168 usque ad § 259 scripta sunt, propriam quandam orationis partem, eamque confutationem esse, censet. Constare enim ex refellendis iis, quae ab adversariis postea opponi possint, quod genus Graeci „*προκαταλήψεις*“ vocant. Sed, quae §§ 168—176 continentur, ad argumentationem pertinere, modo demonstravimus; neque vero reliquis illud effici, quod rhetores confutationem vocant, quin etiam huic ne ullum quidem separatum locum in hac oratione esse, manifestum nobis videtur. Nam, quum confutationis vis ac natura haec sit, ut is, qui dicit, adversarii argumenta e re ipsa ducta, aut, si ac-

---

1) Cf. *τὴν ὑπόθεσιν* hui. or.: „*οὐ γάρ ἐστι καλὸς κἀγαθός, ἀλλὰ κακόνους τῷ δήμῳ*“ et *τὴν ἑτέραν ὑπόθεσιν* Dem. or.: „*κακόνους γὰρ μᾶλλον καὶ πολέμιος εὑρίσκεται τῇ πατρίδι*“.

2) Cf. Quinct. IV, 3, 12 sqq.

cuset ille, quae contra suam confirmationem a defendente dici posse coniiciat, oppugnet atque evertat, in hac oratione, ut saepius fieri solet, illa confirmationi intexta est. Quod certe in eius primis duobus locis patet. In tertio autem, qui in rerum gestarum narratione maxime versetur, non ita facile fieri poterat, ut contrariis adversarii argumentis occurreretur; quamquam unum exemplum confutationis hic quoque invenitur [1]). Est quidem alterum genus confutationis, quo iis, quae extrinsecus repetuntur, occurritur. Sed ne hoc quidem proprium quendam locum in hac oratione habere, quum ex multis et aliis causis perspicuum est, tum quia signa ac notae contradicendi et refellendi plerumque desunt. Anquirentibus igitur nobis, quid alii viri docti de reliqua oratione disponenda iudicent, codex Laurentianus praebet haec verba a vetere aliquo enarratore ad § 230 adscripta: „ἐντεῦθεν οἱ ἐπίλογοι εἰργασμένοι ἐν δέκα τόποις". Ab hoc igitur loco is docet perorationem oriri eamque compositam esse ex decem illis locis communibus, quos rhetores tradunt. At vero primum nihilominus haeremus, quid iis, quae praecedunt, faciendum sit. Nam, si quis, iis, quae ad laudem maiorum, qui in tribuendis honoribus tam parci, in actionibus violatarum legum iudicandis tam severi fuerint, exposita sint, digredi oratorem censeat, hoc quidem concedi potest, sed tamen constat, digressiones non separatam orationis partem efficere, sed locos esse, qui aliis partibus iniecti iisque adnumerandi sint. Praeterea iterum remanet difficultas, quo sint reliqua referenda. Maxime autem hominis auctoritas contemnenda videtur, si, quae de decem [2]) locis communibus explicata sunt, cognoverimus. Quis est enim, qui haec omnia prorsus vana ac nugatoria esse non perspiciat? Quae quum ita sint, potius Schaefero assentimur, qui omnia a § 177 usque ad finem dicta epilogi esse censet [3]). Quae acerrimi viri sententia alterius veteris enarratoris iudicio confirmatur, quod legimus in codice F. Ibi verbo „μέμνησθε",

1) cf. § 137—141.

2) Ultimi tres perditi erant, sed nuperrime in codice Marciano a Ferdinand. Schultzio reperti sunt. cf. Iahnii annales, 1868, pag. 749—752.

3) III, 22.

quod in § 176 legitur, adscripta est una vox „ἐπίλογοι“ [1]), cuius vis sane nulla alia est, quam ut indicet, epilogum inde oriri. Quum autem fieri non possit, ut novi loci initium media in sententia atque in ea, quae praecedentem locum sine dubio concludat, ponatur, non aliter ac per imprudentiam quandam vocem illam, quum ad ἐπεί aut ἀνεμνήσθην in § 177 adscribenda fuisset, ad verbum μέμνησθε relatam esse, apparet. Cuiusmodi errata inprimis in codice F. haud pauca inveniuntur [2]). Neque vero suspecta nobis esse debet nimia epilogi longitudo, quae hac sententia efficitur· etenim ea quoque oratio, quam Demosthenes de falsa legatione habuit, si non vel longiorem, at tamen parem fere epilogum praebet [3]). Quin etiam bene subducta ratione Aeschines ideo hanc partem tam latam fecisse videtur, quia hic summa potestas permovendorum animorum datur. Qua de re iam supra exposuimus.

Iam vero alius nodus expediendus est. Respicientibus enim nobis verba, quae in § 8 leguntur, „ἐὰν ἐξελέγξωμεν Κτησιφῶντα καὶ παράνομα γράψαντα καὶ ψευδῆ καὶ ἀσύμφορα τῇ πόλει“, alia et argumentationis et totius orationis partitio ac, quam nos statuimus, effici videtur. Sed ne haec quidem aurificis statera examinanda esse censemus. Vox „παράνομα“ significat, ex ipsis quibusdam legibus consideratis illico sequi, ut Ctesiphon contra eas rogaverit, et spectat ad duos priores locos confirmationis. Vox „ψευδῆ“ spectat ad id, quod tertio confirmationis loco probatur, falsa illum de Demosthene praedicasse. Quum autem aliis legibus vetitum esset, quidquam falsi in decretis publicis scribi, Ctesiphontem contra has quoque rogasse, manifestum erat, si, Demosthenis laudes re vera falsas esse, Aeschines probaret [4]). Ergo vox „ψευδῆ“ idem omnino valet ac „παράνομα“. Itaque iure in iis, quae huic orationi vulgo praemissa

1) Idem accuratius legitur in codice Marciano nuper demum a F. Schultzio collato. Perscriptum est autem: „ἐντεῦθεν λοιπὸν οἱ ἐπίλογοι“ cf. Iahn. ann. l. c.

2) cf. editionem Schultzianam.

3) cf. Schaefer. II, 373 et Volkmann p. 202.

4) cf. § 50 hui. or.

et ab aliquo grammatico aut rhetore conscripta sunt, haec verba ad tertium confirmationis locum spectantia leguntur: „*Καὶ τοῦτο εἰς τὸ παράνομον ἀνακτέον*“. Atqui restat vox „*ἀσύμφορα*“. Ex qua concludas, unum certe locum restare, ad eumque maiorem minoremve partem eorum, quae post § 176 dicta sunt, referendam esse. Sed primum plus valet, quod Aeschines post confirmationem de eius partibus dicit. Deinde in iis, quae universa epilogi esse iudicavimus, nonnulli quidem loci inveniuntur, qui ad „*ἀσύμφορον*“ pertinere videantur [1]). Verum, quum non perpetua oratione deinceps inter se excipiant, sed seiuncti permixtique aliis sint, minime confirmationis partem efficere putandi sunt. Quaerere autem licet, qua causa Aeschines motus sit, ut „*ἀσύμφορον*“ in confirmatione non tractaret. Nam accusationis libelli verbis non tenebatur, sed licebat orationis confirmationi „*ἀσύμφορον*“ adiungere. Velut Demosthenes in oratione contra Aristocratem, quam pro Euthycle conscripsit, non modo „*παράνομον*“, sed etiam „*ἄδικον*“ et „*ἀσύμφορον*“ confirmavit, quum hic tantum violatarum legum illum accusavisset [2]). Atque haud scio an propterea Aeschines „*ἀσύμφορον*“ a confirmatione removerit et, quoad eius fieri poterat, in epilogum transtulerit, quod in illa collocatum parvam ad persuadendum vim, in hoc magnam habiturum esse videretur. Hic enim facultas data erat, liberiore quadam licentia eum locum tractandi et cum multis ac variis rebus confundendi, a quibus confirmationis natura abhorreret. Hic erat maxima spes proposita, vehementioribus animi concitationibus permotis, ad sensus iudicum penetrandi. Igitur vox „*ἀσύμφορα*“ non de confirmatione intelligenda est.

Ceterum haec quaestio cohaeret cum altera de arte, quacum totius orationis dispositio instituta sit. Qua de re sic ego iudico, ut Demosthenem res ac locos suae orationis „*τεχνικῶς*“ vel „*στρατηγικῶς*“ ordinasse rhetores praedicant [3]), ita Aeschinem eadem fere laude dignum esse. Est autem in collocandis argumentis semper illud observandum, ut et primo et ultimo

---

1) Schaef. III, 231, not. 1. 2) cf. Schaef. I, 382, 384, 389.
3) cf. utramque *ὑπόθεσιν*.

loco firmissima adhibeantur. Si enim primum argumentum levioris momenti est neque ad persuadendum satis idoneum, orator audientes facile alienos sibi reddit, quum eorum exspectationi non ab initio satisfaciat. Itaque etiam totam rem, quam tractat, suspectam reddit. Si autem ultimum parum valet, illi non moti dimittuntur. Quare hoc ordine argumenta collocanda sunt, ut firmiora confirmationem et incipiant et concludant, in mediam vero leviora ac mediocria coniiciantur [1]). Quam legem prima specie Aeschines neglexisse videtur, quum ex tribus argumentis, in quibus tota confirmatio posita est, duo firma primum et medium locum obtineant, id, in quo minimum est firmamenti, eam partem concludat. Quocirca sapientius fecisse possit videri, si, quae de renuntiando honore argumentatus est, in extremo loco, illa vero, quae in perstringenda Demosthenis persona versantur, in medio collocasset. At duo loci in controversia iuris positi ita inter se cohaerent, ut eos divellere ineptum fuerit. Ita necessitate quadam Aeschines cogebatur, ut reliquam argumentorum partem, quamquam infirmissimam, aut in prima aut in extrema confirmatione collocaret. Sed, quantam maximam potuit, operam dedit, ut eius rei incommoditatem tolleret aut certe elevaret. Non modo perturbandis animis illius levitatem tegere studuit, sed etiam ob hanc ipsam causam epilogum tam grandem reddidit, videlicet ut iudices eius longitudine et rerum varietate capti ne possent libere respirare atque argumentorum infirmitatem ex memoria deponerent.

Caput XII.

Conclusio.

Ut denique, quid de omni oratione existimem, breviter complectar, hoc sine ulla dubitatione confirmaverim, quantum quis ingenio atque arte posset, tantum Aeschinem consequutum esse. Adde porro eius vocem magnam et claram atque audientium aures ita permulcentem, ut Demosthenes cum Sirenum

1) cf. Cic. or. 15, 50; de or. II, 77; Cornific. III, 10, 18.

cantu eam comparet [1]) nec temeritatis esse videtur, coniicere, dumtaxat ad tempus iudices vehementer commotos fuisse. Itaque verisimile est, quod ab aliquo vetere enarratore traditur [2]). Is enim refert, quum Aeschines aliquando Rhodiis hanc orationem recitasset, omnes valde miratos esse, cur, quum talem orationem habuisset, victus esset. Quod etiamsi verum non sit, tamen, quantum vel legentes affici soleant, declarat. Nam tum, ex horum maxima admiratione illud fictum esse, censendum est. Sin vero nos idem, quod Rhodii quaesivisse dicuntur, quaerimus, quid fuerit, quod non obtineret Aeschines causam, inprimis erat incredibilis illa ac paene divina dicendi vis Demosthenis, quae illum invidia ductum accusationem instituisse maximaque cum malitia impudentissima mendacia turpissimasque calumnias congessisse probaret. Itaque ipse Aeschines mirantibus illis respondisse dicitur: »Non miraremini, Rhodii, si illam belluam audivissetis«.

---

1) cf. § 228 hui or. et Schaef. I, 215.

2) In iis, quae a G. Dindorfio „περὶ Αἰσχίνου“ inscripta sunt. cf. editionem Schultzianam, p. 5 et Iahnii annal. 1866, p. 290.

Index capitum.